DE PRAEPOSITIONIS *META*

IN VOCABULIS COMPOSITIS USU

EXEMPLIS MAXIME EURIPIDEIS PROBATO.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT
ANTONIUS FUNCK
AURICENSIS.

LIPSIAE
TYPIS EXPRESSIT J. B. HIRSCHFELD.
MDCCCLXXVI.

PRAEMONENDA.

§ 1.

Vocabulorum compositorum novissimo tempore viri docti ea quidem, quae nominum inter se coniunctione sunt formata, summo studio perquisiverunt itaque de huius ipsius classis et forma et vi sat multis libris uberrime atque accuratissime est expositum. Nullum vero habemus librum, quo, quae sit verborum compositionis ratio, edoceamur, quamquam certe nonnulla, quae huc spectant, a Pottio in quaestt. ett. vol. I indicata magis quam ratione et via exposita sunt, alia ab aliis hic illic sunt tractata. Causa cur adhuc ea quaestio fere neglecta sit, fortasse haec est, quod primo quidem oculorum obtutu tota verborum compositio tam simplex esse videtur, ut vix quaestio de ea moveri possit, praesertim cum ne comparatione quidem linguarum cognatarum aliud quid effici posse videatur, quam ut regulam notissimam, ex qua cum nullo alio vocabulo nisi cum praepositione verbum coniungitur, per omnes Indogermanorum linguas valere confirmetur[1]). Ac profecto, si solas formas spectamus, vix quicquam inveniri potest, quod simplicius sit quam verborum cum praepositionibus compositio. Quae in Graeca quidem lingua plerumque ita fit, ut utraque pars prorsus non mutata remaneat; excipiuntur tantum parvae illae praefixorum mutationes, quae in eo cernuntur, quod vocalis finitima ante vocales apud omnes Graecos et in omnibus praepositionibus

[1]) Cf. Lobeck ad Phryn. p. 560 sqq. de iis, quae ab hac norma recedunt vel recedere videntur.

(exceptis solis *περί* et *πρό* et plerumque etiam *ἀμφί*), ante consonas nunquam apud Atticos et rarius in ceteris dialectis eliditur et deinde consona in fine posita sequenti sono accommodatur. Differt hac in re Graeca lingua a Latina, in qua quidem addita praepositione vocalis stirpis mutari solet (cf. *laedo illido, cado concido, emo adimo* cum Graecis *ἔρχομαι προσέρχομαι, λέγω συλλέγω, λάμπω ἐπιλάμπω*).

Sed haec leviora sunt, multo gravior est ea quaestio, cuius partem quidem hoc ipso libello accuratius quam adhuc est factum, tractare mihi propositum est: quem in modum notio verbi addita praepositione mutetur, et quod artissime cum hac quaestione cohaeret, qualis sit usus atque structura verborum compositorum comparata cum simplicibus vocabulis. Cum autem haec quaestio non parvo libelli spatio, sed amplissimo tantum libro absolvi possit, qui liber non paucorum mensium, sed complurium annorum studia acerrima requireret, nunc quidem de una tantum praepositione *μετά* agam, quaeque ad eam pertinent, omnia accurate explanare studebo. Ansam autem huius potissimum praepositionis tractandae praebuit accuratissima illa et sagacissima Tychonis Mommseni quaestio („Entwickelung einiger Gesetze für den Gebrauch der griech. Praepositionen *μετά* u. *σύν* bei d. Epikern." Frankfurt 1874), qua vir doctissimus incredibili fere industria omnibus literarum monumentis, ut praepositionum usum cognosceret, perquisitis specimen dedit legum antea vix cognitarum, quibus prorsus nova ad totum praepositionum usum recte perspiciendum atque intellegendum via est aperta. Tractavit autem Mommsenus in ea, quae adhuc sola edita est, quaestionis parte maxime praepositionum *μετά* et *σύν* apud poëtas epicos usum, qua in re id potissimum demonstrare studet, quae sit vis adverbiorum illorum variis cum casibus coniunctorum; minus curat verba seu nomina cum iis composita, et si quando ea commemorat, hoc tantum consilio de iis disserit, ut structuram eorum exponat itaque, quod omnino eius propositum est, syntaxi

rectius constituendae aliquid novi afferat. Mihi, quod iam dixi, aliud potius consilium est, ut a primaria praepositionis vi profectus ostendam, qualem coniunctionem cum variae notionis verbis inire illa soleat, quaque ratione addita praepositione simplicis vocabuli vis atque structura mutentur. Est autem ad hanc rem explicandam praepositio *μετά* magis quam nonnullae ceterarum idonea, propterea quod, quamquam eius usus satis varius est, tamen nunquam fere — excepto uno quodam usus genere — in ea propria vis adeo variatur, ut vixdum, quo vinculo singulae notiones inter se sint coniungendae, perspicere liceat; medius est enim *μετά* praepositionis usus inter simplicissimum, qui in *ἐν* praepositione aliisque paucis cernitur, et contortissimum illum *ἐπί, κατά,* aliarum usum. Accedit quod, cum e Mommseni quaestione *μετά* cum genetivo coniunctum optima, quae vocatur, Atticorum aetate non minus regnasse constet apud scriptores prosae orationis quam apud poëtas atque Xenophontem *σύν* eadem vi usurpatum, certe iam maximi momenti est inquirere, num satis mira haec usus differentia etiam ad vocabula composita pertinuerit.

Cum autem longum videatur praepositionis *μετά* in vocabulis compositis usum exemplis probare e tota Graecitate collatis, plerumque sola exempla ex Euripide deprompta apponam, quo simul et illud efficiatur, ut notitia singularis qualis apud scriptores fuerit usus dicendi augeatur. Euripides autem ideo maxime idoneus ad ipsam hanc rem est visus, quia eius sermo, quamvis sit poëticus, tamen ad prosam orationem ac paene cotidianam propius accedit itaque hanc quoque quodammodo ex illo cognoscere licet; praeterea Euripidis genus dicendi a nullo adhuc est perquisitum et ne lexicon quidem habemus Euripideum. Itaque fortasse etiam ad sermonis Euripidei cognitionem hac quaestione aliquid novi afferri poterit.

Priusquam autem ad ipsam de *μετά* quaestionem accedamus, nonnulla praemonenda sunt de universa praepositionum natura earumque cum aliis vocabulis compositione.

Et quod quidem attinet ad originem praepositionum, maxime comparatis antiquissimis earum formis, quales praecipue lingua Sanscrita servavit, cognitum est initio praepositiones nihil aliud fuisse nisi casus vel nominum vel pronominum itaque earum formationem eandem esse, quam ceterorum adverbiorum (cf. *certō(d)* et ὀρθῶς, quod quidem prodiit ex *ὀρθωτ). Quae sententia confirmatur eo, quod inferioribus quoque temporibus nominum casus prorsus in usum praepositionum abire videmus: cf. Lat. *causā, gratiā,* Gr. χάριν, ἰδίᾳ (cf. Ar. Ran. 102), nostrum *wegen.* Et quod ex ipsis praepositionum formis conclusum est, probari antiquissimo earum usu ostendit Lud. Langius (Verhandlgn. d. Goett. Philol.-Versamml. 1852 p. 104), numeris appositis demonstrans et in hymnis Vedicis et apud Homerum saepissime praepositiones plane adverbiorum munere fungi. Sunt autem ea, quam secundam praepositionum aetatem statuere possumus, iam in Vedis et in carminibus Homericis multo saepius praepositiones ipsis verbis praefixae itaque duae notiones, quarum alteram altera accuratius definiebat, adeo coaluerunt, ut etiam unius vocabuli vinculo conecterentur. Neque hanc compositionem prorsus ab aliis adverbiis alienam esse exempla docent, veluti Latina verba *benefacio, malefacio,* Germanica *wohlthun, mishandeln.* Cum autem et iuxta posita et adnexa praepositione sicut notio ita plerumque etiam structura verbi immutaretur novique casus, qui debebantur ipsi mutatae verbi notioni, ei adicerentur, tertia quadam aetate praepositio his potissimum casibus apposita est, quos artius cum verbo coniungendos esse hac ipsa collocatione indicabatur; cum eadem autem praepositione insuper etiam ipsum verbum haud raro componebatur. Et hic quidem usus, cum initio rarior fuisset (cf. Lange l. l.), posteriore tempore adeo praevaluit, ut, quicunque de praepositionibus egerunt, ab eo ipso semper profecti sint, qua in re alter ille saepe prorsus neglectus est, utque, cum praepositiones semper certis casibus appositae legerentur, ipsae hosce casus regere sint putatae. Quam sententiam falsam esse nunc nemo iam negaverit, cum

a Pottio, Kühnero, aliis optimo iure monitum sit prorsus non intellegi, quomodo ex praepositione una complures diversi casus pendere possint. Quam arte varius hic praepositionum usus cum notionibus verborum cohaereat, etiam inde intellegere licet, quod ne uni quidem earum praepositionum, quae inferiore tempore formatae sunt nec solent cum verbis componi, complures casus apponuntur. Recte iam veteres grammatici (cf. Schoemann Redeth. p. 141) hasce a veris praepositionibus prorsus secludebant easque adverbiis vel coniunctionibus adnumerabant; cum casibus coniungi magna earum pars posteriore demum tempore est coepta et in ea re vel ipsam suam naturam (*causā, gratiā, χάριν*) vel analogiam seu cognatarum praepositionum (*ἔξω, ἐκτός*) seu similium (*χωρίς*) sequebantur. Itaque tantum abest, ut hae praepositiones, e quibus revera casus pendent, sententiam antea prolatam infirment, ut contra maxime eam confirment. Neque vero stare potest quae altera de praepositionum cum casibus coniunctione proposita est sententia, ex qua casus adeo non praepositionibus reguntur, ut potius e solis verbis ipsis suspensi sint, praepositiones autem tantummodo ad varias casuum significationes, quae initio iam ipsis casibus continebantur, accuratius distinguendas postea sint appositae. Quae sententia propterea est improbanda, quod, quae sane antiquissima linguae aetate erat vis casuum, eam etiam posteriore, de quo nos agimus, tempore servatam fuisse parum credibile videtur; nam nullo modo demonstrari potest re vera casus notiones locales satis inter se distinctas continere. Quae cum ita sint, novissimum illum praepositionum usum recte ita explicabimus, ut casus nominum neque soli verbo, neque praepositioni, sed potius notioni verbi compositi deberi censeamus[2]).

Iam si quaerimus, qua ratione adiecta praepositione notio simplicis verbi temperetur, ex ipsa natura praepositionum apparet notionem verbi simplicis accuratius illis definiri

---

[2]) Cf. Rau. De praepos. παρά Stud. III, p. 9 sqq.

verbumque simplex composito ita oppositum esse ut genus speciei (Pott E. F. I, 21). Ex quo primum hoc intellegimus, quo latius pateat notio simplicis verbi, eo plures praepositiones verbo praefigi posse itaque ipsa natura compositionis factum esse, quod, cum e. c. *ἔρχομαι* cum sedecim, *ποιέω* cum quindecim praepositionibus coniunctum usurpetur, verbo *ὑπνόω* octo tantum praefixae inveniuntur. Ac porro apparet praepositione adiuncta, si verbi amplior et plenior est notio, multo gravius hanc mutari posse quam si iam ab initio angustioribus finibus circumscripta est, quod quo sensu dictum sit, facile intelleges, si comparaveris *συγγράφω* „conscribo“ cum *συνανθέω* „una floreo“, *ἐπέρχομαι* „aggredior“ cum *ἐπιχορεύω* „iuxta salto“, similia. Vulgaris autem praepositionis cum verbo coniunctio ea est, ut quae intercedat ratio inter subiectum et obiectum alio casu appositum, illa indicetur; itaque quoniam praepositionibus notiones locales maxime variae significantur, iis praefixis aut locus (vel tempus), a quo subiectum abscedat (e. c. *ἀπό*), aut in quo versetur (e. c. *ἐν*), aut quo se conferat (e. c. *εἰς*), accuratius describitur. Prout autem in sat magno praepositionum numero significatio variatur, plerumque verbis aut genetivus aut dativus aut accusativus apponi solet, cum contra in aliis, velut in iis, quae cum adverbio *σύν* sunt composita, eadem semper constructio adhibeatur, et ubi coniunctionem iam perfectam et absolutam (*συνοικέω*) et ubi coniunctionem ipsa actione verbi compositi efficiendam (*συγχέω*) indicent. Huic classi longe plurima omnium verborum compositorum sunt attribuenda, e quibus pauca afferre satis erit: *ἀπέρχομαι, ἀποκρούω, ἔξειμι, ἐξελαύνω, καταπλέω, ἀναβαίνω, εἰσβάλλω, ἐνδέχομαι, σύνειμι, συνάγω.*

Iam vero alia habemus vocabula composita, in quibus praepositio minime ad obiectum aliquod iuxta positum, sed ad solam verbi notionem spectat. Dixit de hisce maxime Schoemannus (Redethle p. 139), cuius verba, ut quae optime rem explicent, ex parte quidem ipsa hic adscribo:

„Oft ist es nur ein Verhältniss des einen der im Verbum

selbst enthaltenen Bedeutungselemente zum andern, des Subjectes nämlich, welches durch die Endung angedeutet wird, zu der speciellen Thätigkeitsform, welche neben dem allgemeinen Thätigkeitsbegriff in dem Verbum steckt und welche wir das innere Verbalobject nennen mögen [confer *ὑπνόω* cum *ἀφυπνόω, ἀλγέω* cum *ἀπαλγέω, ὀλοφύρομαι* cum *ἀπολοφύρομαι;* lat. *desipere, desperare, debellare*], wobei aber zu bemerken, dass dergleichen Composita öfters zugleich das Fertigsein mit einer Thätigkeit andeuten, von der man eben desswegen ablässt. — Bei transitiven Verben ferner giebt die Präposition öfters das Verhältniss an, in welches das Objekt zu dem im Verbum enthaltenen Thätigkeitsbegriff versetzt wird, wie *ἐκκαλύπτειν τι* etw. aus der Verhüllung heraus versetzen, *develare aliquem* = *velo exuere* und umgekehrt *ἐγκαλύπτειν investire.*" „Bisweilen endlich bezieht sich die Präposition auf den vorhergegangenen Zustand des Subjects oder Objects, aus welchem dieselben durch die vom Verb ausgesagte Thätigkeit heraus versetzt werden wie *ἐξεγείρειν*, wobei *ἐξ ὕπνου* oder dgl. hinzugesetzt werden kann, aber nicht nothwendig ist, sowenig wie bei *excitare*, ferner *evigilare, expergisci* u. dgl.; und *ἀποκινδυνεύειν, ἀποτολμᾶν, ἀποθρασύνεσθαι* u. ähnl. sind auch nur so zu erklären, dass sie ein Uebergehen aus einem vorherigen Zustand der Vorsicht oder Muthlosigkeit in den durch die Verba ausgedrückten andeuten."

Subtilior sane est hic praepositionum usus eoque magis mirus est, quod in eam nos consuetudinem adduximus, ut ubique praepositiones artissime cum casibus cohaerere nobis videantur; sed si accuratius rem inspicimus, ne a nostra quidem lingua composita eiusdem generis aliena sunt, cf. *einhüllen enthüllen*, *ermuthigen entmuthigen*, *erstaunen*, *erwecken*, *einschlafen* (*obdormio*), similia. Ac si illud tenemus, propriam praepositionum naturam esse adverbialem, hic usus paullo diversus esse cognoscitur a liberiore illo ceterorum adverbiorum, quae non verbis ipsis praefiguntur, sed tantum iuxta ponuntur; quidni enim, si tot tamque diversa agendi

genera adverbiis appositis significantur, etiam initium vel finis alicuius actionis praefixo adverbio indicetur? Nam tales actionis varietates cum plerumque variata singulorum temporum stirpe exprimantur, tamen non semper plene et perfecte ita indicari possunt itaque tum aut aliud verbum, quod fortasse propius ad id, quod indicandum erat, accedat, ponendum est, aut alio modo ipsi formae verbi aliquid addendum est, quo sententia accuratius definiatur. Et hoc ipso consilio praepositiones in verbis supra allatis sunt appositae. Nam, ut exemplis rem illustrem, si quis uno verbo dicturus se vel somnum capere, vel e somno evadere, vel ad finem dormire, notionem somni non vult omittere, nullo verbi dormiendi tempore hoc vel illud indicare potest, sed aut sententiam ita fere, ut indicavi, circumlocutione exprimere cogitur, aut — et haec quidem ratio simplicissima est — formanda sunt composita, ut *obdormio, einschlafen, ἀφυπνόω, edormio, ausschlafen.* Simili modo ubi quis uno verbo subito sonum quendam editum esse indicare vult, aptissime hoc eo fit, ut praepositio *ἐκ* praefigatur verbis *βοάω, βρυχάομαι, γελάω,* similibus, qua adiuncta et brevissime et clarissime sonum illum quasi erumpere e silentio significatur; prorsus eiusdem generis est Latinum *exclamare,* ac paullo tantum diversa nostra verba *loslachen, losschreien,* quippe quibus vocem diutius repressam repente emitti indicetur. Eandem fere significationem nos ea quoque via assequimur, ut verbis simili notione instructis praepositionem *auf* praefigamus, qua sublationem quasi soni indicemus (cf. *aufschreien, auflachen*), parilique modo Graeci adnexo adverbio *ἀνά* in *ἀναβοάω, ἀναστένω, ἀνολολύζω,* aliis vocis contentionem quasi ante oculos ponunt, quam minus distincte expressam etiam in Latinis verbis *ingemere, increpare, intonare,* aliis sentimus. Vides autem verba allata quamquam sane diversa sunt a verbis talibus, qualia sunt *ἀποβαίνω, ἐκπλέω, ἀνίσταμαι,* tamen similitudinem quandam inter ea intercedere; nam in his quoque initium novae actionis praepositione indicari potest, quae tamen non sola neque primaria

eorum vis est, cum proprie nihil nisi aliquam loci mutationem significent. Iam vero easdem praepositiones, de quibus modo dixi, etiam prorsus contraria vi usurpatas invenimus; possunt enim et hae et nonnullae aliae sicut initium ita finem alicuius actionis notare. Cuius rei exempla luculentissima *ἀπαλγέω*, *ἀπολοφύρομαι*, similia iam attulit et optime explicavit Schoemannus; accedunt autem illis alia, quorum vis bene explicatur nostro verbo *abthun;* sicut enim hoc a propria vi quae est desistendi ab aliqua re ad notionem finiendi, absolvendi (cf. *sich entledigen*) pervenit, eadem via Graecis verbis *ἀπεργάζομαι*, *ἀπανύω*, *ἀποπληρόω*, similibus, Latinis *deformo*, *defigo*, *defingo*, aliis effectiva, ut ita dicam, vis est attributa, qua rem propositam confici significatur. Non prorsus eadem est natura verborum *ἀποκτείνω*, *ἀποτυφλόω*, *ἀποσφάζω*, *ἀποφαίνω*, *abneco*, *absumo*, *absorbeo*, *delenio*, *demonstro*, quaeque similia sunt; nam in iis praepositione non tam indicatur subiectum ab actione durativa simplicis verbi desistere, quam obiectum ipsa verbi actione prorsus e pristina sua condicione in novam illam, quam efficiendam sibi proposuerat subiectum, transferri. Alia rursus ratione adverbio *ἀνά* praefixo verbi vis magis intensiva atque effectiva redditur; quid enim aliud significant verba *ἀναμανθάνω*, *ἀναδιδάσκω*, *ἀνελέγχω*, *ἀναμετρέω*, *ἀνασκοπέω*, similia nisi hoc, actionem verbi ab initio usque ad finem perduci? Attamen haec explicatio non aeque quadrat in omnia verba, quorum similis est notio effectiva; multo enim simplicius verba *ἀναφαίνω*, *ἀναδείκνυμι*, *ἀνευρίσκω* e propria notione *auf* explicantur, ita ut eodem modo quo in nostris verbis *aufzeigen*, *auffinden* obiectum quasi in lucem tolli dicatur. Accedunt haec verba propius ad vulgarem vocis *ἀνά* cum verbis compositionem, nam iam in iis minus obscurata est propria localis praepositionis vis, quae etiam magis elucet in verbis, in quibus et ipsis nonnunquam nihil fere nisi intensivam quandam vim praefixi sentimus, ut in *ἀνεγείρω*, *aufwecken*, *suscito*, *ἀνερεθίζω*, *aufbringen*, porro in *ἀναπίμπλημι*, *ἀναπληρόω*, *anfüllen*, i. e. „von unten bis oben

füllen", similibus. Cum autem, quae res ex inferiore condicione in superiorem quandam tollitur, plerumque hoc ipso in meliorem locum transponi videatur, verba cum *ἀνά* composita rem ad bonum finem perduci significare solent; cui usui nonnunquam prorsus contraria est praepositionis *κατά* cum verbis coniunctio, quippe qua secundum propriam eius notionem potius rem a meliore in deteriorem quendam statum detrahi significetur, velut in verbo *καταχράομαι* i. e. „utendo detraho, verbrauche, nutze ab". Attamen non semper verborum cum *κατά* praepositione compositorum notionem in peius detrahi, sed etiam simplicem vim effectivam eis inesse exemplum docet verbi *καθοσιόω*, quod idem significat ac Latinorum *consecro*. Simplicissime autem ipsa illa notio alicuius rei ab initio usque ad finem perducendae, quam aptissime Latini adfixo adverbio *per* consequuntur, ut in *perficio, perago*, similibus, in lingua Graeca indicatur praefixa praepositione *διά*, velut in *διασαφέω, διαδηλόω, διασημαίνω, διαπράττω, διαπονέομαι*, in quibus quidem verbis qua via praepositio a propria vi quae est „durchhin, durch und durch" ad intensivam illam pervenerit, apertum est ad intellegendum. Sed ne nimius sim in tractanda subtili hac quaestione, quae hic attingenda potius quam uberius excutienda videtur, aliis quae ad illam pertinent omissis, duarum tantum praeterea praepositionum similem usum breviter indicare velim. Altera est praepositio *ἐκ*, quae in *ἐξεργάζομαι, ἐκπονέω* similibusque verbis (cf. Lat. *efficere*, *exigere, exsequi*) nihil aliud significare videtur nisi id, quod fuerit propositum, quasi funditus absolvi atque perfici. Altera est *σύν*, quam propterea hic omittere nolim, quod in ea quidem clarissime apparet, qua ratione transitus fiat a propria coniungendi notione ad translatam illam, quam vocant intensivam; cum enim, cuius rei partes quam artissime inter se coniunguntur et comprimuntur, ea hoc ipso aut prorsus diruatur, aut quam maxime confirmetur, pro verbi simplicis notione vel hanc vel illam significationem habet compositum. Itaque cum in Latino verbo *conficere* utraque insit, solam diruendi notionem

exhibent Graeca verba συρρήγνυμι, συναράσσω, συμφλέγω, similia, confirmandi autem: *συγγράφω*, *conscribo*, *συντεκταίνομαι*, *commolior*, *συνυφαίνω*, *contexo*, alia multa[3]).

Iam restat, ut de nominum cum praepositionibus compositione nonnulla exponam, qua in re eundem illum Schoemannum sequor, qui l. l. p. 140 etiam de his compositis optime egit. Praeter nomina a verbis compositis derivata, quorum numerus satis magnus est, facillima intellectu sunt ea nomina composita, in quibus posteriör pars nomen agentis seu actionis est, scilicet plane eodem modo explicanda quo verba composita συμφυγάς, συνναύτης, μεταίτιος, πρόλογος („Vorwort"), ἐπίλογος, alia; sed vix putaverim magnum eorum numerum congeri posse, cum longe plurima huiusmodi vocabula multo aptius a verbis iam compositis originem duxisse putentur, ut μεταφορά, συμπράκτωρ. Paullo saepius inveniuntur voces, in quibus praepositiones vi prorsus adverbiali usurpatae sunt, e quibus praeter ea, quae a Schoemanno allata sunt exempla ὑπόδασυς, ὑπέρυθρος, ὑπόγρυπος, ὑπέρδασυς, ὑπερμέγας, Lat. *subruber*, *subniger*, *praemagnus*, *praelongus*, pauca insuper appono, quoniam ne tales quidem voces saepe leguntur: ἐπίδασυς („annähernd rauh") ἐπίλευκος, ἐπιστρόγγυλος; κατάλευκος („bis auf den Grund weiss"), κατάλαμπρος, κατάλαβρος; περίμεστος, περιμαθής, περίκακος (proprie „qui ab omni parte plenus, doctus, malus est"), διάπικρος, διάξηρος, διάμεστος, διαποίκιλος; hae voces, quae partim posteriore demum tempore in usum venerunt, quodammodo similes sunt alteri illi verborum compositorum classi subtiliori, quia in utrisque notio tantum ipsius verbi definitur praepositione, non ratio, quae inter-

[3]) Adiciam hoc loco, in Graeca lingua composita ea, quorum vel ingressiva vel effectiva est significatio, ideo paullo rariora esse quam in aliis quibusdam linguis, quoniam idem fere, quod composito, plerumque simplici aoristo clare indicari potest; cf. Curtius „Erläut." ed. II p. 190 sqq.

cedat inter vocabulum compositum et aliud quoddam. Multo autem crebriores sunt aliae voces compositae, quae diversae sunt a verbis ac potius proxime accedunt ad nominum cum aliis elementis coniunctionem (cf. Curtius Gramm. § 359 Anm. 1) itaque eodem modo atque alia nomina composita in tres classes sunt dividendae, quarum prima ea complectitur composita, quae vocantur determinativa (quibus quodammodo etiam nomina modo tractata attribuenda sunt), secunda, quae attributiva, tertia, quae obiectiva. Quorum quae sint inter se differentiae, cum satis notum sit, hic ex unaquaque classe pauca exempla afferre satis habeo; determinativa sunt: *ἀμφιθέατρον*, *σύνδουλος*, *σύγκασις*, *συμφυγάς* (cf. supra), *μεταίτιος*, *μετάκοινος*, *ἐπίλογος*, *πρόλογος* (cf. supra); attributiva: *ἀμφίδομος*, *ἀμφιθάλασσος*, *ἀμφίθυρος*, *ἔμφλοξ* („Feuerstein"), *ἔμψυχος*, *ἐπίκομος*, *ἐπιδίμοιρος*; obiectiva: *ἄπαυλος*, *ἀπόγειος*, *ἀπόδουλος*, *ἀπόθριξ*, *ἔμπυρος*, *ἔνοικος*, *ἔκδημος*, *ἀντίθεος*, *ἐπιβώμιος*, *ἐπιδήμιος*.

---

§ 2.

DE PRAEPOSITIONE *META* CUM CASIBUS CONIUNCTA.

Adverbii *μετά*, quod cum Sanscrita stirpe *sama* cognatum esse coniecit Benfeyus (Lex. z. Sâmavêda s. v. *sma;* cf. L. Meyer K. Z. VIII 138), Fickius vero (Idg. Wtb.[3] I, 170) a radice *mâ* „tauschen" derivandum esse censet, notionem primariam communionis cuiusdam esse apparet cum ex ipso huius vocis usu antiquissimo, tum e comparatione eorum verborum, quae, sive hanc sive illam etymologiam probamus, sine dubio cognata sunt habenda, velut Sanscritum *mithas* „una, vicissim, alternatim", *mithuna* „coniunctus, geminus; par (subst.)", Zd. *maṯ* „cum", Goth. *mith*, Theod. *miti*, alia, quae ubique notionem nostri „mit" vario modo conversam et quodammodo inflexam exhibent. Et perbene ex

hac notione primaria omnem Graecae vocis μετά usum derivari clare ostendit Pottius (Et. F. I², 755), cuius sententia confirmatur etiam iis, quae e Mommseni de usu vocis μετά Homerico quaestione comperta habemus.

Frequentissimus enim praepositionis μετά usus in carminibus Homericis hic est, ut dativo plerumque pluralis numeri apposita idem valeat quod nostrum *inmitten*, *unter*, Lat. *inter*, Angl. *among*, *between*; Franco-gall. *parmi*, *entre*. Sic cum plurali numero sociata legitur μετά praepositio *Λ* 416 μετὰ γναμπτῇσι γένυσσιν, *Τ* 110 μετὰ ποσσίν, *Ε* 344 μετὰ χερσίν, aliis multis locis, cum singulari numero substantivi, cuius collectiva est notio, *Χ* 49 μετὰ στρατῷ. Cum alio dativo singulari numero posito μετά praepositio apud Homerum nusquam invenitur constructa, et spectant quidem substantiva, quibus adiecta est, multo saepius ad personas, quam ad res. Semper autem id maxime indicatur, subiectum verbi non tantum coniunctum esse cum vocabulo eo, quod in dativo casu adiungitur (σύν vel etiam ἅμα), sed prorsus eiusdem rei particeps esse, in eadem condicione versari, idem agere; unde sequitur praepositionem μετά artius sociatam esse habendam cum notione verbi, quam illas alias, quae potius nominum inter se coniunctionem indicant. Cum autem illa adverbia, quae postea praepositionum vi usurpata inveniuntur, iam per se optime cum genetivo, ut qui casus copulationem duarum rerum significet, coniungantur, ipsum autem adverbium μετά coniunctionem aliquam indicet, profecto non mirabimur, quod etiam genetivum ei appositum invenimus, apud Homerum quidem rarissime, sed eo saepius posteriore tempore, ita tamen, ut optimo, quod dicitur, tempore apud scriptores prosae orationis (excepto uno Xenophonte) atque poëtas eorum consimiles μετά cum genetivo semper fere ibi usurpatum sit, ubi poetae non minus constanter σύν cum dativo ponere solebant, cuius usus supra iam a nobis mentio est facta.

Sed difficultatem praebent nonnulli loci, ubi μετά eadem vi cum accusativo coniunctum esse videtur. Pertinent

huc ante omnia tres loci Homerici, quorum primus est *B* 143:

ὣς φάτο, τοῖσι δὲ θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ὄρινεν
πᾶσι μετὰ πληθύν, ὅσοι οὐ βουλῆς ἐπάκουσαν,

ubi verba *μετὰ πληθύν* plerumque cum *πᾶσι* coniuncta in hunc modum explicantur: „omnes qui versabantur inter multitudinem“, ac videtur haec sane simplicissima loci explicandi ratio esse (Schol.: *ἀντὶ τοῦ ἐν τῷ πλήθει, ἢ κατὰ τὸ πλῆθος*).

Alter locus legitur *I* 54:

Τυδείδη, πέρι μὲν πολέμῳ ἔνι καρτερός ἐσσι,
καὶ βουλῇ μετὰ πάντας ὁμήλικας ἔπλευ ἄριστος,

cui accedit tertius locus simillimus *π* 419:

Ἀντίνο᾽ ὕβριν ἔχων, κακομήχανε, καὶ δέ σέ φασιν
ἐν δήμῳ Ἰθάκης μεθ᾽ ὁμήλικας ἔμμεν ἄριστον
βουλῇ καὶ μύθοισι.

De his quidem locis vix aliud quicquam dici potest quam hoc, accusativum plane eadem vi, qua ceteroquin dativum, cum *μετά* coniunctum esse itaque pertinere exempla illa ad accusativi usum liberiorem, quo hunc casum posteriore tempore magis magisque in aliorum casuum locum succedere videmus. Idem iure iudicat Mommsenus (p. 30) de locutione *ἔχειν μετὰ χεῖρας*, quae apud Homerum nondum invenitur, sed legitur apud Herodotum VII, 16, Thucydidem I, 138, aliis multis locis; Homerus saepius habet *μετὰ χερσίν*, velut *Λ* 4 *πολέμοιο τέρας μετὰ χερσὶν ἔχουσαν*, 184 *ἔχε δ᾽ ἀστεροπὴν μετὰ χερσίν*.

Alius accusativi e praepositione *μετά* pendentis usus non minus mirus quodammodo explicatur analogia linguae Latinae; nam sicut ibi particula *inter*, quae fere Graeco *μετά* respondet, cum accusativo coniungitur, quo in usu interdum vim nostri „während“ accipere solet (cf. *inter noctem, inter cenam*, alia), ita *μετά* nonnunquam hac vi usurpatum cum

accusativo coniungitur: *μεθ' ἡμέραν* Hdt. I, 150; *μετὰ νύκτας* Pind. Nem. VI, 9; *P* 149 legitur:

πῶς κε σὺ χείρονα φῶτα σαώσειας μεθ' ὅμιλον[4])

i. e. „inter tumultum“; *χ* 352: *μετὰ δαῖτας* „unter dem Mahle“. Significatio haec e communi notione „inmitten“ facillime explicatur; ad accusativum autem explicandum hoc monendum est, saepissime eo casu rem per longius temporis spatium pertinentem indicari (cf. Curtius Gramm. §§ 399b, 405), isque *μετά* praepositionis usus satis antiquus iudicandus esse videtur, quod apud posteriores *μετά* cum accusativo de tempore dictum nihil nisi „post“ significare solet.

Iam transeamus ad vulgarem praepositionis *μετά* cum accusativo coniunctionem, cuius propriam vim eam esse apparet, ut subiectum verbi ad rem aliquam, quacum sese coniungat, adeat vel aliam rem hoc ipso consilio in illam immittat. Ita dicitur: *ἦλθε μετ' αὐτούς*, *Ξ* 136; *ἵππους μετὰ νῆας ἐλαύνειν* *E* 165; *φεύγειν μετὰ νῆας* *M* 123; et hac quoque vi notandum est apud Homerum quidem *μετά* plerumque cum plurali numero vel singulari nominis collectivi coniungi, ita ut etiam ab hac parte eluceat *μετά* proprie significare coniunctionem, qua quis inter alios recipiatur vel versetur. Inde derivatur alia significatio, in quam haec regula nimirum non cadit; nam quoniam, si dicimus *ἔρχομαι μετά τι*, simul indicatur consilium rei capessendae, omnia huiusmodi verba saepissime prorsus vim nostri verbi „holen“ accipiunt, ac tum optimo iure etiam cum singulari numero coniunguntur, ut hisce locis: *α* 184 *πλεῖν μετὰ χαλκόν*; *β* 308 *μετὰ πατρὸς ἀκουὴν ἱκνέομαι*; apposito participio *N* 247: *μετὰ γὰρ δόρυ ἤει οἰσόμενος*; *ξ* 415 *ᾤχετο πευσόμενος μετὰ σὸν κλέος*. Hanc autem excipiunt aliae quaedam significationes optime explicandae analogia nostri adverbii *nach;* sicut enim hoc, quod cognatum esse apparet adiectivo *nahe*,

[4]) Haec est lectio Aristarchi sine dubio vera, cf. schol. A: *διὰ τοῦ ν μεθ' ὅμιλον· παρὰ δὲ Ζηνοδότῳ μεθ' ὁμίλου· καὶ λόγον ἔχει ἀντὶ τοῦ ἔξω ὁμίλου.*

proprie nihil aliud significat nisi „prope aliquem“, inde autem, cum, qui ad aliquem accedat, saepe **post** eum vadat, localem notionem huius adverbii recipit ac postremo etiam in temporis notionem transfertur: eodem modo *μετά* a significatione quae est „ad, prope“ ad notionem Latini *post* pervenit, quod et ipsum et de loco atque ordine et de tempore dicitur. Ac diu iam observatum est apud Homerum vocem *μετά*, cum nonnumquam sane, sed inaequabili per singulas carminum partes usus frequentia (cf. Mommsen p. 29) de loco seu ordine usurpata sit (e. c. ζ 260 *τόφρα σὺν ἀμφιπόλοισι μεθ' ἡμιόνους καὶ ἅμαξαν . . ἔρχεσθαι*; *N* 492; *I* 140: *αἴ κε μετ' Ἀργείην Ἑλένην κάλλισται ἔωσιν*), contra re vera de solo tempore vix unquam accipiendam esse et potius similiter ac nostrum *hinter-her* per imaginem tantum de tempore usurpatam esse (cf. Mommsen p. 29). Cum autem haec res summi momenti sit, ii loci Homerici, qui proxime accedunt ad Atticae aetatis usum temporalem, hic afferendi sunt. Ac primum quidem habemus duos versus, in quibus *μετά* cum accusativo copulatum eodem modo de successione est dictum, quo in proximis *ἐπί* cum dativo; sunt autem loci hi:

Ψ 354 *μετὰ τὸν δ' ἔλαχε κρείων Εὔμηλος,*
τῷ δ' ἄρ' ἐπ' Ἀτρείδης δουρικλειτὸς Μενέλαος,
τῷ δ' ἐπὶ Μηριόνης λάχ' ἐλαυνέμεν·
Θ 261 *τὸν δὲ μετ' Ἀτρεῖδαι Ἀγαμέμνων καὶ Μενέλαος,*
τοῖσι δ' ἐπ' Αἴαντες θοῦριν ἐπιειμένοι ἀλκήν,
τοῖσι δ' ἐπ' Ἰδομενεὺς κτἑ.

Similes deinde hisce sunt loci pauci, qui Odysseae libro λ reperiuntur: 260 *τὴν δὲ μετ' Ἀντιόπην ἴδον*, 266, 305, quibus accedunt exempla paullo minus certa:

P 258 *πρῶτος δ' ἀντίος ἦλθε (Αἴας) θεῶν ἀνὰ δηιοτῆτα,*
τὸν δὲ μετ' Ἰδομενεὺς καὶ ὀπάων Ἰδομενῆος κτἑ;
φ 190 *ἐκ δ' αὐτὸς μετὰ τοὺς δόμου ἤλυθε δῖος Ὀδυσσεύς.*

In omnibus hisce excepto primo loco, ubi vix de locali praepositionis *μετά* vi cogitare licet, potest sane praepo-

sitio de loco intellegi, sed nemo negabit causam, cur non potius de tempore illa sit intellegenda, prorsus nullam exstare. Quae cum ita sint, temporalem praepositionis μετά significationem vix prorsus abiudicare audebimus a carminibus Homericis, praesertim cum alia quoque eiusdem significationis vestigia exstent, de quibus infra erit agendum. Atticorum scriptorum aetate eam ipsam frequentissimam esse vix est, quod commemorem; latissime autem patens is usus apud rerum scriptores reperitur.

Iam si meminerimus eorum, quae paragrapho prima exposita sunt, apparet easdem, quibus praepositionem aliquam cum nominibus coniunctam praeditam invenimus, significationes etiam, ubi verbis praefixa sit, ei inesse oportere; ac si accuratius inspicimus vocabula ea, quae cum μετά composita sunt, re vera omnes illas, de quibus supra demonstratum est, significationes reperimus unamque insuper novam, de qua postea dicetur. Possumus igitur in tractandis vocabulis compositis optime sequi rectionem eorum, quippe qua simul etiam notio praepositionis indicetur, itaque initium faciemus ab iis vocibus compositis, quibus dativus appositus esse solet.

Cap. I.

DE VOCABULIS CUM ΜΕΤΑ COMPOSITIS, QUAE PROPRIA VI CONIUNGUNTUR CUM DATIVO.

§ 3.

DE IIS VERBIS, QUAE SOLUM DATIVUM REGERE SOLENT.

Significant haec verba subiectum versari inter alios, et quamquam postea hoc sensu praepositionem μετά cum genetivo coniungi solere vidimus, tamen nusquam e verbis compositis genetivum ita accipiendum pendere invenimus, sed potius eo tempore, quo sicut praepositionis μετά cum dativo coniunctio, ita haec verba composita magis magisque obso-

lescebant, pro iis verba simplicia apposita μετά praepositione cum genetivo usurpata legimus. Antiquiore autem tempore, maxime in carminibus Homericis haec verba composita usitatissima sunt ac plerumque ita sunt comparata, ut dativus adiectus re vera notioni verbi praepositione mutatae debeatur, non eadem vi iam cum simplici verbo coniunctus legatur. Pertinent huc ante omnia verba loquendi, quae sunt haec: μεταγορεύω; μεταυδάω *I* 16; μετάφημι *B* 411: τοῖσιν δ' εὐχόμενος μετέφη κρείων Ἀγαμέμνων; *Θ* 132; μεταφωνέω *Σ* 323; π 354; μετεῖπον *B* 336: τοῖσι δὲ καὶ μετέειπε Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ; β 409; Hes. Theog. 643: δὴ τότε τοῖς μετέειπε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε; μεταφράζομαι „unter sich besprechen“ *A* 140: ἀλλ' ἦ τοι μὲν ταῦτα μεταφρασόμεσθα καὶ αὖτις. Quae verba nisi si absolute dicuntur — quod ubi fit facile dativus simul auditur (cf. *H* 94; *Θ* 30; *I* 31; η 155; υ 321) — semper dativus pluralis numeri eis adiectus est; et si recte sic explicamus „er sprach unter ihnen“, ne ii quidem loci, ubi unus tantum appellatur, ut *B* 411, *Δ* 153 τοῖς μετέφη· φίλε κασίγνητε κτέ., *T* 55 τοῖσι μετέφη· Ἀτρείδη κτέ., offensionem praebent, quae Passovium male habuit (cf. lex. s. v. μετάφημι), qui parum dextre vertit „zu ihnen“ itaque illis locis τοῖσιν instrumentalem esse voluit intellecto dativo ἔπεσιν vel μύθοισιν[5]. Uno tantum loco Homerico e verbo loquendi accusativum personae, quam quis adloquitur, habemus pendentem, *B* 795 τῷ μιν ἐεισαμένη μετέφη πόδας ὠκέα Ἶρις, quocum conferenda sunt Ap. Rhod. β 54 τόν γ' ἐπέεσσιν ὑπερφιάλοισι μετηύδα, α 702 Ἰφινόην μετεφώνεεν; sed cum etiam simplicia verba dicendi accusativum ita accipiendum regere possint (ψ 91: ποτιδέγμενος εἴ τί μιν

[5]) Vix tamen cum Mommseno faciam, qui etiam dativum simplici verbo εἶπον additum pro locativo accipiendum esse dicit (p. 28); nam quamquam sane nonnullis locis ab eo allatis dativus aliis verbis adiectus vix aliter intellegi potest, tamen cur τοῖσιν ἔειπεν vertamus „er sprach bei ihnen“ et non „er sagte ihnen“, equidem causam non video.

εἴποι ἰφθίμη παράκοιτις[6])), non nimis mirus videtur ille compositorum verborum usus. Eadem cum dativo pluralis numeri constructio usurpatur in reliquis huiusmodi verbis; ita habemus μέτειμι X 388; φ 93 (ubi μέτα pro μέτεστι legitur); Hes. erg. 172; Tyrt. 10, 7; Xenophan. II, 15; Eurip. Or. 1026 φέγγος . . οὐκέθ᾽ ἡμῖν τοῖς ταλαιπώροις μετόν[7]); μεθῆμαι α 118; μεταίζω π 362 absolute; μεθομιλέω Α 269 (etiam verbum simplex cum dativo coniungitur, velut Α 261 ἐγὼ καὶ ἀρείοσιν ἠέ περ ὑμῖν ἀνδράσιν ὡμίλησα; Ν 779; σ 167); μεταδαίνυμαι X 498; σ 48; absolute Qu. Sm. II, 157; μεταπρέπω e. c. Β 481; ρ 213; Hes. Theog. 377 πᾶσι μετέπρεπεν ἰδμοσύνῃσιν, 430; Tyrt. fr. 12, 39; Theogn. 937; Ap. Rhod. II, 786 πάντεσσι μετέπρεπεν εἶδος τ᾽ ἠδὲ βίην; inde derivatum adiectivum quasi nomen agentis μεταπρεπής cum dativo sociatur Σ 370 ἀθανάτοισιν; μετοικέω Pind. Py. IX, 147 Καδμείων μετοικήσαις ἀγυιαῖς. Etiam duo verba Euripidea, quae cui exemplorum generi attribuenda sint, diu dubitavi, hic afferenda esse mihi videntur; sunt autem haec: μεταστένομαι, Med. 996 μεταστένομαι δὲ σὸν ἄλγος[8]), et μετακλαίομαι, Hec. 211 σὲ μέν, ὦ μᾶτερ δύστανε βίου, κλάω πανδύρτοις θρήνοις· τὸν ἐμὸν δὲ βίον, λώβαν λύμαν τ᾽ οὐ μετακλάομαι.

---

[6]) Quae alia in lexicis huius usus exempla afferuntur Homerica, non prorsus eiusdem rationis sunt; nam et Μ 60 = 210 = Ν 725 Πουλυδάμας θρασὺν Ἕκτορα εἶπε παραστάς et Ρ 237 = 651 καὶ τότ᾽ ἄρ᾽ Αἴας εἶπε βοὴν ἀγαθὸν Μενέλαον, et Ρ 334 μέγα δ᾽ Ἕκτορα εἶπε βοήσας hoc respiciendum est, quod sequenti in versu habemus vocativum eiusdem nominis, quare εἰπεῖν potius vim nostri verbi „nennen, rufen", quam „anreden" habere videtur.

[7]) Etiam verba Eur. Her. f. 660: χαρακτὴρ᾽ ἀρετᾶς, ὅσοισιν μέτα, huc traxerim, quoniam facilius ad μέτα nominativus ἀρετά, quam genetivus ἀρετᾶς subauditur.

[8]) Wecklini interpretatio haec „abwechselnd beklage ich, στένομαι δ᾽ αὖ" priore loco quodammodo tolerabilis, in posteriore prorsus inepta videtur; mea quae est „una tecum fleo" in utrumque locum quadrat et est simplicior.

Deinde huc pertinent *μεθίσταμαι*, *E* 514 *Αἰνείας δ' ἑτάροισι μεθίστατο*, et *μετέρχομαι*, *Ξ*. 334 *θεοῖσι δὲ πᾶσι μετελθών*, *Π* 487, *α* 134, *ζ* 222, quod quidem verbum duobus posterioribus locis significat „versari inter", prioribus autem aeque ac *μεθίσταμαι* illud notionem abeundi inter alios vel accedendi habet; dativus hic simili modo per prolepsin positus esse videtur atque *χ* 221, ubi legitur *κτήματα . . . τοῖσιν Ὀδυσσῆος μεταμίξομεν*, cum *μεταμίσγω* coniungitur, cf. etiam *κ* 204 *ἀρχὸν δὲ μετ' ἀμφοτέροισιν ὄπασσα* (Mommsen p. 32); alioquin etiam apud Homerum cum accusativo sociatur idem *μετέρχομαι*, ubi non „abire inter", sed tantum „accedere" significat, de quo usu infra dicam[9]). Nomen quoque unum compositum aptissime huc trahendum esse videtur, *μετανάστης* (*I* 648; *Π* 59; Hdt. VII 161)[10]), pro quo Hes. Theog. 401 *μεταναιέτης* ab eiusdem stirpis forma ampliore derivatum legitur; cum enim nomen illud a verbo quodam supponendo **μεταναίω* sit ductum, non aliter atque *μέτοικος*, de qua voce infra demonstrabitur, eum significat, qui cum aliis in domo aliena habitat itaque minus honoratur quam nobiliores *αὐτόχθονες*; apud scriptores infimae Graecitatis illa vox (Man. II, 420 c. gen.) et eae, quae vel ab ipsa ea vel ab eius stirpe derivantur, *μετανάστιος* (Nonn. dion. I, 110), *μετανάστρια*, *μεταναστεύω*, notionem transmigrandi vel locum mutandi exhibent, qui usus ex analogia verbi *μετοικέω* (cf. *μετοίκησις* Plat. Ap. p. 40 C) ortus esse videtur (vide infra § 7); nam in antiquiorem verbi *μετανάστης* usum illa significatio minus quadrat, praesertim cum satis singularis illius, quam *μετά* vocula in *μετοικέω* habet, notionis vestigia antiquiore tempore inveniamus nulla.

---

[9]) Dativum *τοί τ* 24: *τίς τοι ἔπειτα μετοιχομένη φάος οἴσει*, non, quod putavit Rostius (lex. Hom. s. v. *μετοίχομαι*), pendere e verbo *μετοιχομένη*, sed dativum commodi appositum verbis *φάος οἴσει* esse iure monuit Mommsenus (p. 35); iam singulari numero *τοί* refellitur illa sententia.

[10]) Cf. Schoemann Gr. Alterth. I^3, 42, ubi apte nostrum *„Beisasse"* comparatur.

Postremo hoc loco agendum esse videtur de verbis *μεταπαύομαι, μεταλήγω, μεθίημι, μεθαιρέω.* Quorum primum uno tantum loco Homerico habes *P* 373, ubi absolute dictum est: *μεταπαυόμενοι δ' ἐμάχοντο.* Aeque ac simplex verbum *παύομαι* cum genetivo usurpatum apud Oppianum legimus. Praeterea exstat substantivum inde derivatum *μεταπαυσωλή* *T* 201 *μ. πολέμοιο,* quocum conferas *B* 386 *οὐ γὰρ παυσωλή γε μετέσσεται.* Praepositionis autem in his vocabulis vis eadem est atque nostri „zwischendurch, dazwischen", quam vim a notione „inmitten" haud procul abesse apparet, itaque significat *μεταπαύομαι* „zwischen durch, unter der Arbeit aufhören"; si quis autem casum ad *μεταπαύομαι* eiusque quae sunt similia verba adiungere voluerit, ei non dativus, sed accusativus adhibendus est, cum analogia sit respicienda earum, de quibus supra dixi, locutionum *μετὰ δαῖτας, μεθ' ἡμέραν,* similium. Secundum illorum verborum *μεταλήγω* proprie significat „interdum desinere, interrumpere"; legitur autem *I* 157 *ταῦτά κέ οἱ τελέσαιμι μεταλήξαντι χόλοιο, I* 261, 299. Iam ex analogia horum verborum etiam frequentissimum illum verbi *μεθίημι* usum explicaverim; puto enim, sicut Latinum *mitto* (cf. *hoc missum faciamus*) vim desinendi accepit ita *ἵημι* verbum addita *μετά* praepositione ea notione esse indutum, ut cum *μεθίημι* proprie sit „inter laborem desinere, laborem intermittere", hinc omnino notio „nachlassen, ablassen, unterlassen, loslassen" fluxerit. Coniungitur cum accusativo e. c. *ε* 471 *εἴ με μεθείη ῥῖγος καὶ κάματος; α* 77 *Ποσειδάων δὲ μεθήσει ὃν χόλον,* cf. Eur. Med. 590; ita saepissime apud Euripidem *μεθές με* „lass mich los" legitur, ut Alc. 266, 544; Med. 177, 227; deinde notione „preisgeben, aufgeben, hingeben" *ο* 212 *οὔ σε μεθήσει, Θ* 553; apud Euripidem etiam medio genere: Med. 736 *οὐ μεθεῖ' ἂν . . . ἐμέ*; activo: Alc. 1111 *οὐκ ἂν μεθείην τὴν γυναῖκα προσπόλοις*; „zulassen" Eur. Phoen. 519 *ἐκεῖνο δ' οὐχ ἕκων μεθήσομαι, ἄρχειν παρόν μοι, τῷδε δουλεῦσαί ποτε.* E notione „loslassen" deinde explicatur singularis verbi usus, quem habes

P 539 κῆρ ἄχεος μεθέηκα, quo cum loco conferas Eur. Or. 1671 μεθίημ' Ἑρμιόνην ἀπὸ σφαγῆς. Porro autem eodem modo quo nos dicimus *v. etw. loslassen*, μεθίημι verbum saepissime cum genetivo ablativi munere fungente coniungitur ipsa illa sententia instructum, velut *M* 409 τί τ' ἄρ' ὧδε μεθίετε θούριδος ἀλκῆς; *N* 116; apud Euripidem aliosque posterioris aetatis scriptores etiam medio genere adhibetur, ut Hipp. 326 καὶ σῶν γε γονάτων οὐ μεθήσομαί ποτε; Heracl. 266; Hec. 400; Her. f. 627. Derivatum autem ab hac stirpe adiectivum est μεθήμων „neglegens, schlaff", quod habes absolute positum *B* 241; ζ 25, genetivo λύρης adiuncto in Anacreonteorum carmine 57, 17. Substantivum μεθημοσύνη legitur *N* 108, 121; extrema Graecitate invenitur μέθεσις.

Singularis est verbi μεθελεῖν usus, quod uno tantum loco exstat Homerico θ 376 ὁ δ' ἀπὸ χθονὸς ὕψοσ' ἀερθεὶς ῥηϊδίως μεθέλεσκε (sc. σφαῖραν) de pila excipienda usurpatum; significat enim „auffangen" et videtur eadem ratione qua Latinum *intercipere* explicandum esse, ita quidem ut poeta pilam inter ipsum volatum capi faciat.

§ 4.

DE VERBIS CUM *META* COMPOSITIS, QUAE NON SOLUM CUM DATIVO SED PRAETEREA ETIAM CUM GENETIVO CONIUNGUNTUR.

Quaeritur ante omnia, quomodo genetivum explicemus, et iam hic apparebit, quam recte supra docuerimus casus verbis compositis additos neque e praepositione neque e verbo, sed ex ipsa notione verbi compositi explicandos esse. Nam si genetivus e. c. in μετέχειν τινός penderet e praepositione, ex analogia praepositionis alioquin cum genetivo coniunctae sequeretur hunc genetivum spectare ad personam, quacum quis aliquam rem possideret, non ad rem, cuius particeps esset; neque vero semper e verbo simplici genetivum adiectum explicari posse exemplum demonstrat verbi μέτ-

ε σ τ ί μ ο ί τ ι ν ο ς, in quo genetivus sane prorsus aliam vim habet atque si dicitur πατρὸς δ' εἴμ' ἀγαθοῖο Φ 109, vel τῆς αὐτῆς γνώμης εἶναι (Thuc. I, 113) vel τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαί (Hes. Theog. 321) vel quemcunque alium genetivum cum verbo εἶναι iunctum ponimus. Itaque restat, ut genetivum ipsa natura verbi compositi efflagitari dicamus, et hoc unice verum esse confirmat vis vocabulorum, quippe quibus aliquem alicuius rei participem esse indicetur, ita ut genetivum appositum esse partitivum consentaneum sit. Habemus igitur hic eundem genetivum, quem e verbis γεύεσθαι, ἐσθίειν, ἀπολαύειν, κοινωνεῖν, συλλαμβάνεσθαι, ἅπτεσθαι, ψαύειν, ἄρχεσθαι, similibus et ex adiectivis ἄμοιρος, αἴτιος, ἀναίτιος, ἄγευστος pendentem videmus: cf. Curtius Gramm. §§ 414, 4; 419. Neque tamen negandum est haud pauca verborum cum particula μετά compositorum iam antequam essent composita, cum similis notionis genetivo coniungi potuisse.

Sed iam ad ipsa verba accedamus, ut eorum naturam recte a nobis descriptam esse etiam singulis perlustrandis probetur. Apud Homerum unum verbum ita comparatum invenitur μ ε τ α δ α ί ν υ μ α ι Ψ 207 ἵνα δὴ καὶ ἐγὼ μεταδαίσομαι ἱρῶν; genetivum simplici verbo δαίνυμαι, quod aut absolute ponitur, aut cum accusativo coniungitur, nusquam appositum legimus; tamen saepius e verbis similibus quae sunt πάσασθαι (Ω 641 σίτου), αἴνυμαι (ι 225 τυρῶν), φαγεῖν (ο 373 τῶν; ι 102 λωτοῖο) pendere genetivum iure monuit Mommsenus. Plura apud poëtas lyricos ceterosque deinceps inferioris temporis scriptores exstant illius modi verba et ea significant aliquem alicuius rei aut ipsum participem esse vel fieri aut alium participem facere. Prioris generis est μ ε τ έ χ ω: Pind. Py. II, 151 οὔ οἱ μετέχω θράσεος; Alc. 101; Theogn. 356 μηδὲ μεθ' ἡμέων βίου μέτεχε. Eur. Hipp. 730 τῆς νόσου δὲ τῆσδέ μοι κοινῇ μετασχὼν σωφρονεῖν μαθήσεται; Or. 1337 μετάσχες ἱκεσίας φίλοις, ac praeterea in fabulis Euripideis quater legitur cum genetivo et dativo singularis vel pluralis numeri sociatum

(Heracl. 8, 683; Hel. 1221; fr. 904, 8)[11]), bis cum genetivo et *μετά* praepositione genetivum regente (Hel. 1667 et Iph. A. 544 *μάκαρες οἱ μετρίας θεοῦ μετά τε σωφροσύνας μετέσχον λέκτρων Ἀφροδίτας*); semel (Heracl. 629) cum dativo solo, ita ut genetivus cogitatione adiungatur, semel adiecto adverbio *κοινῇ* (El. 607, cf. supra), sexies decies cum solo genetivo (Alc. 745; Hipp. 306; Med. 116; Or. 32, 793; Phoen. 1690; Heracl. 559; Ion 507, 1115, 1368, 1468; Hel. 716, 736; Bacch. 1183; Iph. A. 557; fr. 905); bis tantum cum accusativo (Andr. 499 *οὐδὲν μετέχων*; fr. 785 *ᾧ παρῆν . . . ἴσον μετασχεῖν τῷ σοφωτάτῳ τύχης* [an potius *ἴσον* hic pro adverbio dictum est? Cf. Il. *I* 616; Eur. Hel. 801]); cf. Curtius Gramm. § 419 A. 2. Vides constructionem huius verbi satis variatam esse neque hoc poëtico dicendi generi proprium est, nam etiam apud alios scriptores eandem usus varietatem inveniri exempla docent, quae e quovis lexico facile colligi possunt. Quod autem attinet ad simplex verbum *ἔχειν*, sane hoc quoque cum genetivo iungitur maxime genere medio, sed tamen nusquam significat „theilnehmen an etw.“, sed potius „sich an etw. halten, an etw. hängen“, vel etiam „sich v. etw. enthalten“. Derivantur ab ea, de qua agimus, stirpe adiectivum *μέτοχος*, quod semper cum genetivo rei sociatur (Eurip. Andr. 769 *δόμων*; Her. f. 721 *τοῦ φόνου*; Ion 697 *ἐλπίδων*; cf. Antiph. tetr. *B* III, 11; IV, 6; Thuc. VIII, 92) et substantiva *μετοχή* (Hdt. I, 144), unde denuo derivatur adiectivum posteriori aetati usitatum *μετοχικός*, *μέθεξις* (Plato Parmen. p. 151 E *μέθεξις οὐσίας μετὰ χρόνου τοῦ παρόντος*), *μετάσχεσις* (Plato Phaed. 101 C). Eandem significationem quam *μετέχω* exhibet verbum *μέτεστι* semper cum dativo personae singularis vel pluralis numeri et genetivo rei coniunctum[12]). Non invenitur hic usus in antiquiore poesi nec epica nec lyrica,

---

[11]) Med. 116 *τί δέ σοι παῖδες πατρὸς ἀμπλακίας μετέχουσι* dativum *σοί* ethicum esse, non cum *μετέχουσι* artius coniungendum apparet.

[12]) De alio huius verbi usu paragrapho proxima egimus.

sed eo saepius apud poëtas tragicos atque comicos et scriptores prosae orationis; in fabulis Euripideis leguntur plenae formae verbi *μέτειμι* ita usurpati quindecim locis: (Andr. 591; Med. 886; Hec. 436; Or. 434; Phoen. 249, 412; Suppl. 956; Heracl. 185, 665; Ion 1297; Iph. T. 1299; Iph. A. 498, 1236; fr. 86; 362, 40); quinquies (Hipp. 876; El. 1295; Hel. 798; Iph. T. 1300; Iph. A. 494) solum adverbium *μέτα* eadem vi positum habemus; uno ex locis allatis Iph. T. 1299 *μέτεστι χὐμῖν τῶν πεπραγμένων μέρος* nomen *μέρος* additum est, de quo usu haud ita raro conferendus Curtius Gramm. § 419 A. 2. (cf. Hdt. VI, 107; Xen. Cyrop. VII, 5, 44); saepius invenitur pronomen interrogativum vel indefinitum adiectum, velut Eur. Hel. 798 *ὧν τί σοὶ μέτα;* Hipp. 876 *λέξον, εἴ τί μοι λόγου μέτα.* Ubi cum infinitivo coniungitur *μέτεστι* (Soph. El. 536 *ἀλλ' οὐ μετῆν αὐτοῖσι τήν γ' ἐμὴν κτανεῖν*; Antig. 48 *ἀλλ' οὐδὲν αὐτῷ τῶν ἐμῶν μ' εἴργειν μέτα*; Plato Theaet. 186 E *ᾧ γε οὐ μέτεστιν ἀληθείας ἅψασθαι*), verbum significat „penes me est, ius potestatemque alicuius rei faciendae habeo". Derivatur ab hac stirpe substantivum *μετουσία*, quod habes Ar. Thesm. 152 *αὐτίκα γυναικεῖ' ἢν ποιῇ τις δράματα, μετουσίαν δεῖ τῶν τρόπων τὸ σῶμ' ἔχειν*, Dem. d. cor. 128 *σοὶ . . . ἀρετῆς τίς μετουσία*, Xen. Cyrop. VIII, 5, 23, aliis locis. Deinde eandem cum genetivo iuncturam habemus in verbis *μεταλαμβάνω* et *μεταλαγχάνω* aliquem alicuius rei participem fieri indicantibus; quorum in posteriore rarius usurpato hic usus eo minus mirus est, quod iam simplex verbum *λαγχάνω* eundem casum regere constat; legimus hoc verbum apud Euripidem semel, Suppl. 1078 *μετέλαχες τύχας Οἰδιπόδα . . . μέρος*; alioquin saepius cum solo genetivo, ut Plato Gorg. 447 A *πολέμου καὶ μάχης φασὶ χρῆναι . . . οὕτω μεταλαγχάνειν.* Etiam alterum verbum eiusdem fere significationis *μεταλαμβάνειν* apud Euripidem uno loco exstat Bacch. 302 *Ἄρεώς τε μοῖραν μεταλαβὼν ἔχει τινά*, quocum conferas Arist. Plut. 226 *ὅπως ἂν ἴσον ἕκαστος ἐνταυθὶ παρὼν ἡμῖν μετάσχῃ τοῦδε τοῦ Πλούτου μέρος*; cum solo genetivo coniunctum legimus iam in

Pindari carmine, quod num genuinum sit addubitatur, Ne. X, 148 *παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν καμάτου μεταλαμβάνειν,* et saepius apud scriptores prosae orationis, velut Hdt. IV, 64; Thuc. III, 55; Dem. Ol. III, 30; Antiph. tetr. *B* III, 12; cum accusativo praeterea hic illic coniungitur, velut Andoc. de myst. 17 *μετέλαβε δικαστῶν τοσούτων οὐδὲ διακοσίας ψήφους ὁ Σπεύσιππος,* ubi genetivus *δικαστῶν* ablativi munere fungitur. Derivatur ab hoc verbo nomen *μετάληψις,* quod legitur Plat. Parm. p. 131 A, alibi. Simplicis verbi *λαμβάνειν* activum et medium plerumque cum genetivis talium vocabulorum, qualia sunt *χείρ* et *γοῦνα,* sociatur; invenimus etiam *ἀρχῆς* (Soph. O. C. 373 *ἀρχῆς λαβέσθαι καὶ κράτους τυραννικοῦ*) et *ἀνδρῶν* (Plat. Prot. p. 347 E *ἐὰν μὲν λάβωνται ἀνδρῶν,* scil. *αἱ συνουσίαι*); qui usus sane proxime accedit ad genetivum e *μεταλαμβάνειν* suspensum[13]). Praeterea huc pertinet verbum *μεταποιέομαι* „efficio, ut alicuius rei particeps fiam“, deinde „vindico mihi aliquid“, quod e. c. cum genetivo positum invenimus Thuc. I, 140, cum *τί* II 51, cum *οὐδέν* Hdt. II, 178. Porro afferendum est verbum *μεταδίδωμι* „aliquem alicuius rei participem facere“; legitur iam in carminibus Theognideis 104 cum genetivo coniunctum (alio sensu 925 *οὔτε γὰρ ἂν προκαμὼν ἄλλῳ κάματον μεταδοίης* i. e. „postea dares“); deinde apud Euripidem sex locis (non apud ceteros poetas tragicos) et ter quidem (Or. 281, 450; Suppl. 54) addito dativo, quem iam verbi *δίδωμι* notioni deberi vix est quod commemorem, ter (Or. 152; Iph. T. 1030; fr. 119) cum solo genetivo positum, quem partitiva hac vi simplici verbo *δίδωμι* adiectum non inveni. Idem verbum *μεταδίδωμι* usitatissimum est apud scriptores prosae orationis, velut habes Thuc. VI, 39; VIII, 21; Xen. An. IV, 5, 6; Dem. Phil. III, 3; Andoc. de myst. 134; 143 *καὶ ἐμοὶ δίκαιον ὑμᾶς μεταδοῦναι τῆς σωτηρίας;* Lys. de Alcib. fug. 29 *μέρος τῶν ὀνειδῶν τῶν ἑαυτῷ προσόντων τοῖς ἄλλοις μεταδοῦναι;* Plato Gorg.

---

[13]) De alio huius verbi usu vide infra § 7.

520 C; hic quoque accusativus nonnunquam pro genetivo usurpatur, ubi aliquem non partem tantum, sed totam rem accipere indicatur, ut Hdt. VIII, 5; IX, 34; Xen. An. IV, 5, 5. Substantivum ab hac stirpe formatum μετάδοσις „communicatio" habet Xen. Cyrop. VIII, 2, 2 *μ. σίτων καὶ ποτῶν*. Respondet voci μεταδίδωμι verbum multo minus usitatum, quod postremo hoc loco commemoramus, μεταιτέω „alicuius rei partem sibi poscere", quod coniunctum cum genetivo legitur Hdt. IV, 146 *τῆς βασιληίης μεταιτέοντες*, cum accusativo *μέρος* Arist. Vesp. 972 *τούτων μεταιτεῖ τὸ μέρος*, absolute dictum Hdt. VII, 150, apposito genetivo, qui pendet e praepositione *παρά*, Dem. p. 410, 12.

Vides verba hac paragrapho tractata, quae etsi non sunt multa, usus tamen frequentia insigniora, cum genetivo coniungi, ubi significant „Antheil an etwas haben, nehmen" vel simile quid, cum accusativo et maxime quidem cum *μέρος* voce, ubi vim habent nostri *etwas als Antheil haben* etc.; dativus raro tantum apponitur, plerumque cogitatione est intellegendus.

§ 5.

DE PRAEPOSITIONIS *META* IN NOMINIBUS COMPOSITIS USU.

Iam postquam verba, in quibus *μετά* propria sua vi respondens nostro *mit* usurpatum est, tractavi, restat, ut agam de nominibus, quibus eadem vel simili vi praefixum est. Qua in re ita procedendum videtur, ut priore loco de iis dicam vocibus compositis, quarum altera pars immutata remansit, altero eas tractem, quae secundum membrum vario modo mutatum exhibent, quas quidem etiam ad sententiam discrepare a prioribus postea apparebit.

I. Priori classi perpauca nomina sunt attribuenda, in quibus unum usitatissimum μέτοικος, quod aptissime ita explicatur, ut significet *οἴκου μετέχων, οἶκον μετά τινος ἔχων*, itaque compositum sit quod dicitur attributivum[14]); invenitur

[14]) Cf. Schoemann Griech. Alterthümer I³, 42.

saepissime apud poëtas tragicos ceterosque scriptores Atticos, et coniunctum cum genetivo et absolute positum; apud Euripidem semel tantum hac vi habetur Heracl. 1033 *καὶ σοὶ μὲν εὔνους καὶ πόλει σωτήριος μέτοικος ἀεὶ κείσομαι κατὰ χθονός*, ubi dativum *πόλει* vix crediderim cum *μέτοικος* cohaerere; cum genetivo iunxit e. gr. Aeschylus Pers. 319 *σκληρᾶς μέτοικος γῆς*; Cho. 971 *μέτοικοι δόμων*; Soph. O. C. 934 *μ. τῆσδε τῆς χώρας*; cum *ἐν* praepositione vocem sociat Andocides de myst. 144 *εἰδότα δὲ οἷόν ἐστι ξένον εἶναι καὶ μέτοικον ἐν τῇ τῶν πλησίον*. Derivata sunt ab hac voce *μετοικία* (Aesch. Eum. 1019; Soph. Ant. 890 *μετοικίας δ' οὖν τῆς ἄνω στερήσεται:* schol. *τὸ μεθ' ἡμῶν μετοικεῖν*); *μετοίκιος* (*Ζεὺς μ.* Bekk. Anecd. p. 51, 24); *τὸ μετοίκιον* (Xen. vect. II, 1: „tributum"). Etiam verbum *μετοικέω*, quod apud Aeschylum, Euripidem, alios eiusdem vel posterioris aetatis semper sine dativo ponitur, a *μέτοικος* derivatum iudicaverim; nam vix mihi persuaserim ut vetus illud Pindaricum *μετοικεῖν*, de quo supra p. 133 diximus, cum dativo coniunctum, ita etiam hoc recta via ab *οἰκέω* originem duxisse; cf. Aesch. Suppl. 609 *μετοικεῖν τῆσδε γῆς*, ubi eodem modo atque substantivum verbum genetivum secum habet; Eur. Suppl. 892 *τοὺς μετοικοῦντας ξένους*; Ar. Avv. 1319 *τί γὰρ οὐκ ἔνι ταύτῃ καλὸν ἀνδρὶ μετοικεῖν;* certum hoc est apud Isocr. p. 62 D; Dem. p. 632, 19. Deinde huc pertinet vox *μετάγγελος* prorsus Latino *internuntius* respondens, quam tamen Wolfius utroque loco, ubi tradita est, *Ο* 144 *Ἶριν, ἥτε θεοῖσι μετάγγελος ἀθανάτοισι* et *Ψ* 199 *ὠκέα δ' Ἶρις ἀράων ἀΐουσα μετάγγελος ἦλθ' ἀνέμοισιν*, eo removere voluit, ut praepositionem ab *ἄγγελος* recisam hic ad *ἦλθε*, illic ad dativum *θεοῖσι* traheret; sed hoc minime necessarium videtur, nam cum nomine agentis *ἄγγελος* apte praepositio ita coniungitur, et defenditur praeterea hic usus voce *ἐπιβουκόλος* (*γ* 422) eadem ratione formata[15]). Praeterea huius generis est *μετόπη*, quod aedium partem significat satis notam.

[15]) Cf. Lehrs Arist. ed. II p. 108.

Nec minus adiectivum quod est μετάδουπος huc trahendum esse videtur, quod legitur Hes. Erg. 821 αἵδε μὲν ἡμέραι εἰσὶν ἐπιχθονίοις μέγ' ὄνειαρ, αἱ δ' ἄλλαι μετάδουποι, ἀκήριοι, οὔ τι φέρουσι; attamen quomodo sit explicandum, equidem nescio; nam Passovii quae prostat interpretatio „dazwischen fallend“ ideo parum arridet, quod e certissima Aristarchi observatione (Lehrs Ar.² p. 103 sq.) verbum δουπέω, cum nisi de iis, qui in pugna cum strepitu prosternuntur, non diceretur, notionem cadendi accepit. Porro huc pertinent adiectiva μεταίτιος, μετάκοινος, μετακοινωνός, quorum hoc quidem tantum ab Hesychio traditum est, priora autem etiam in scriptorum libris leguntur; sunt autem composita, quae dicuntur determinativa (cf. Curtius Gramm. § 359, 1 et 3, A. 1). Μεταίτιος legitur apud Aeschylum Ag. 811 cum dativo commodi et genetivo coniunctum: τοὺς ἐμοὶ μεταιτίους νόστου; Cho. 100 τῆσδ' ἐστὲ βουλῆς, ὦ φίλαι μεταίτιαι; 134 φόνου; Eum. 199 τούτων (opponitur vs. 200 παναίτιος); Soph. Trach. 260 πάθους; 447 γυναικί, τῇ μεταιτίᾳ τοῦ μηδὲν αἰσχροῦ μηδ' ἐμοὶ κακοῦ τινος; 1234 ἥ μοι μητρὶ μὲν θανεῖν μόνη μεταίτιος c. inf.; apud Euripidem semel tantum invenitur Suppl. 26 τάφου μεταίτιον; neque deest in prosa oratione, ut habes Xen. Hell. II, 3, 32. Μετάκοινος apud unum Aeschylum legitur, cuius gravitati uberior haec forma optime accommodata est: Eum. 351 οὐδέ τίς ἐστι συνδαίτωρ μετάκοινος; 964 Μοῖραι παντὶ δόμῳ μετάκοινοι; Suppl. 1037 μετάκοινοι δὲ φίλᾳ ματρὶ πάρεισιν Πόθος, ᾇ τ' οὐδὲν ἄπαρνον τελέθει θέλκτορι Πειθοῖ.

Postremo hic etiam adverbium μεταξύ afferendum est, quod apud omnes omnis generis scriptores adeo usitatum est, ut exempla afferre supersedeamus; formatum autem est e particula μετά et breviore forma praepositionis ξύν (cf. νύν et νύ), de qua re egit Pott E. F. I², 296, 758; praefixa praepositioni ξύν particula μετά sententiam ita variatam videmus, ut notioni societatis (σύν) adderetur notio quae est „inter alios versari“ itaque evaderet vis nostri

„zwischen, unter“. *Μεταξύ* etiam praepositionis munère fungi verbo monuisse satis habeo (Eur. Hec. 437 *ξίφους ... μεταξὺ καὶ πυρᾶς Ἀχιλλέως*).

II. Iam transire licet ad ea nomina, quorum alterum membrum compositione mutatum est, et inveni hic quoque duo triave tantum substantiva, quae sicut cetera omnia huius classis vocabula compositis obiectivis sunt attribuenda: *μέτωπον, μετάφρενον,* quodque extremae Graecitatis est *μετακόνδυλος* seu *μετακόνδυλον,* quae quidem vox spatium, quod inter digitorum articulos interest, significat. *Μέτωπον* autem iam in Iliade invenitur, ubi proprio sensu *N* 615 *ἤλασε μέτωπον ῥινὸς ὕπερ πυμάτης*, spatium, quod inter oculos intercedit, indicat; deinde eadem voce omnino superior faciei pars, frons, vel tota facies significatur, unde etiam ad alias res transfertur[16]; apud Euripidem legitur haec vox Tro. 1198 *ἱδρώς, ὃν ἐκ μετώπου, πολλάκις ... ἔσταζεν Ἕκτωρ*; Hel. 1568 *μονάμπυκον δὲ Μενέλεως ψήχων δέρην μέτωπά τ᾽* (sc. *τοῦ ταύρου*) *κτἑ*; [Rhes. 307: *μετώποις ἱππικοῖσι*]. *Μετάφρενον* voce proprie id declaratur, quod interest inter *φρένας*; cum autem auctore Aristotele d. part. an. III, 10 *φρένες* sint *τὸ διάζωμα, ὃ διορίζει τόν τε πνεύμονα καὶ τὴν καρδίαν*, eam posterioris corporis partem, quae illi proxima est, significasse videtur *μετάφρενον*; apud Homerum, ubi saepissime legitur, accuratissime, quam corporis partem significet, describitur *E* 40 *μεταφρένῳ ἐν δόρυ πῆξεν, ὤμων μεσσηγύς, διὰ δὲ στήθεσφιν ἔλασσεν*, atque saepius ita cum umeris coniungitur *B* 265; *Π* 791; *Ψ* 380; plurali numero dicitur *M* 428 *ὅτέῳ στρεφθέντι μετάφρενα γυμνωθείη μαρναμένων*, de quo usu conferendus Lobeck ad. Ai.[2] p. 145.

In compluribus vocibus adhuc tractatis praepositionem *μετά* vi Latini *inter*, nostri *zwischen*, *unter* invenimus instructam. Quae eadem vis subest adiectivis *-ιο* suffixi ope

---

[16]) Cf. Hense: „Poet. Personification in griech. Dichtern“ etc. Parchim 1864. Halle 1868.

formatis, quorum numerus satis magnus conferri potest. Iam apud Homerum habemus: μεταδήμιος θ 293; ν 46; μεταμάζιος Ε 19 στῆθος μεταμάζιον (cf. Anacreontea 16, 30); μεταδόρπιος δ 194 οὐ γὰρ ἔγωγε τέρπομ' ὀδυρόμενος μεταδόρπιος[17]); deinde apud Aeschylum, Euripidem, alios: μεταίχμιος Eur. Phoen. 1240 κἂν μεταιχμίοις ὅρκους ξυνῆψαν; 1279; Heracl. 803; Phoen. 1361 ἐλθόντ' ἐς μέσον μεταίχμιον; μετακύμιος Eur. Alc. 92 εἰ γὰρ μετακύμιος ἄτας, ὦ Παιὰν, φανείης; μεθαμέριος Eur. Ion. 1050 ἃ τῶν νυκτιπόλων ἐφόδων ἀνάσσεις καὶ μεθαμερίων (cf. μεθ' ἡμέραν Hdt. II, 150; usitatius est μεθημερινός, Xen. de rep. Lac. 12, 2, Plat. Tim. p. 45 C, alibi); μεθόριος „die Grenzscheide bildend", Thuc. II, 27 c. gen.; V, 41; τὰ μεθόρια II, 18; VIII, 10, al.; Xen. Cyrop. I, 4, 16; μεταπύργιος, τὸ μ. Thuc. III, 22, 23; μεταπόντιος, unde Μεταπόντιον „urbs in mari sita vel mari confinis"; cf. Μεθύδριον Thuc. V, 58; μεταρίθμιος; μεταχείριος; μεταστύλιον; μετηνέμιος; μετακάρπιος; μετακόσμιος (cf. *intermundius*, Cic. d. Fin. II, 23); μεταχθόνιος[18]). Vides in omnibus hisce praepositionem quae est μετά notiones etiam aliunde notas exhibere, ita ut modo nostro *mit*, modo *inmitten, zwischen*, modo *unter, während* respondeat.

Restant nonnullae voces paullo difficiliores. Primum enim qui factum sit, ut μεταχρόνιος vim vocis μετάρσιος habeat, prorsus non intellegimus; invenitur primum Hes. Theog. 269, ubi dicitur de Electra, Thaumantis uxore, ἥ δ'

[17]) Non possum assentiri Lehrsio, qui Arist.[2] p. 129 μεταδόρπιος „post cenam" esse contendit, dicens: „haec composita omnia id significant, quod praepositio cum substantivo; μεταδήμιός ἐστι (θ 293) i. q. μετὰ δήμῳ; sed μετὰ δόρπῳ nihil est." Sane hoc verum est; sed quidni statuamus μεταδόρπιος idem esse, quod μετὰ δόρπον? (cf. χ 352 μετὰ δαῖτας.)

[18]) Quod Pottius (E. F. I[2], 757) contendit hanc vocem significare „überirdisch", equidem nescio unde habeat; nam exempla huius usus non inveni.

ὠκεῖαν τέκεν Ἶριν, ἠυκόμους θ' Ἁρπυίας, Ἀελλώ τ' Ὠκυπέτην τε, αἵ ῥ' ἀνέμων πνοιῇσι καὶ οἰωνοῖς ἅμ' ἕπονται ὠκείῃς πτερύγεσσι· μεταχρόνιαι γὰρ ἴαλλον; vulgo explicant interpretes „μεταχθόνιαι", quam vocem nescio quo iure „überirdisch" significare sumant; Goettlingius voluit „celer ad instar temporis", sed hoc nimis artificiosum videtur; alii alia proposuerunt non magis probabilia. Etiam apud recentiores poëtas epicos, ut apud Apollonium Rhodium (II, 300; 589, ubi de navibus dictum), saepius μεταχρόνιος idem valet quod μετάρσιος, sed et hic, quomodo ad hanc significationem pervenerit, obscurum est. Sequitur μεταμώνιος, cuius notio quidem perspicua est, origo et ipsa obscura. Nam quamquam hanc vocem (scribitur etiam μεταμώλιος) vim Latini adiectivi „inanis" habere omnes consentiunt, unde haec vis sit derivanda, nemo adhuc certo demonstrare potuit. Plerumque vocabulum cum ἄνεμος coniungitur comparato nostro verbo *windig*, Graeco ἀνεμώλιος et loco Aristoph. Pac. 117 μετ' ὀρνίθων προλιπὼν ἐμὲ ἐς κόρακας βαδιεῖ μεταμώνιος. Et probavit hanc sententiam etiam Pottius (E. F. I, 757), qui e *μετανεμωνιος factum esse putat *μετανμωνιος, *μεταμμωνιος, μεταμώνιος. Sed vix crediderim tales sonorum mutationes consimilibus exemplis posse probari, ac praeterea, quamvis exitus -ωλιος exstet in ἀνεμώλιος adiectivo, tamen nemo adhuc -ωλιος in -ωνιος mutari posse demonstravit. Nescio, an non magis probabilis sit altera explicatio a Lobeckio (proll. p. 135; pathol. p. 349) proposita. Putat vir doctissimus exitum vocis μεταμώλιος a radice verbi μολεῖν originem duxisse, comparatque maxime ἀντιμωλία δίκη et ἑτερομώλιος δίκη, et explicat „transilis", quae notio non male sane quadraret locis quibusdam, ut Δ 363. At primum quidem μεταμώλιος non solum „transilis, mutabilis" est sed prorsus „inanis, nichtig", quam quidem notionem locis his: β 98; τ 143; σ 332; 392; Δ 363 multo aptiorem quam illam esse neque non aptam esse loco Aristophaneo nemo non intellegit. Deinde stirpis μολ illa vi cum particula μετά compositae nullum exstat vestigium

neque alia verba eundi, ut *μετέρχομαι*, vi mutandi („vergehen") instruuntur. Accedit quod ne sic quidem formae *μεταμώνιος* *ν* littera satis expeditur. Certius iudicium facere licet de vocibus *μετάρσιος* et *μετήορος*, quarum et vis est eadem „in sublimi pendens, suspensus, sublimis" et origo ab eadem radice *svar* ducitur (cf. Curtius Grdz.[4] p. 356). Vix enim cum Pottio (E. F. I[2], 757) *μετήορος* cum *ἀήρ* coniungemus, praesertim cum haec originis explicandae ratio in voces sine dubio cognatas *συνήορος* *παρήορος* minime quadret. Proficiscendum igitur videtur esse a radice *svar* (Gr. *ἀ-σϝερ*, unde *ἀείρω*) „schweben, schweben machen", et deinde a stirpe verbi **μεταειρω* „hinheben, in die Schwebe bringen" optime derivatur adiectivum **μεταϝορος*, **μεταορος* (cf. Aeol. *πεδάορος* Alc. fr. 97), *μετήορος*, *μετέωρος*. Invenitur hoc vocabulum iam apud Homerum *Θ* 26 *τὰ δέ κ᾽ αὖτε μετήορα πάντα γένοιτο*; *Ψ* 369 *ἅρματα . . . ἀΐξασκε μετήορα*; atque saepissime apud posteros auctores, maxime Platonem et Aristophanem, ut Ar. Pac. 80 *μετέωρος αἴρεται*; Plat. Tim. p. 80 A *ὅσα ἀφεθέντα μετέωρα καὶ ὅσα ἐπὶ γῆς φέρεται*; apud Euripidem vocem compositam *μετεωρο-λόγο-ς* habemus fr. 905 *μετεωρολόγων δ᾽ ἑκὰς ἔρριψεν σκολιὰς ἀπάτας*. Eo saepius apud Euripidem legitur aliud adiectivum eiusdem notionis a contracta stirpis *ἀϝερ* forma *ἀρ* (*ᾱ*) derivatum *μετ-άρ-σι-ος*, quod ab Homeri carminibus alienum est, sed invenitur apud Herodotum (VII, 188 *νῆες μετάρσιαι* „auf hoher See befindlich", cf. *μετέωρος* Thuc. I, 48), apud Sophoclem (Antig. 1009 *μετάρσιοι χολαὶ διεσπείροντο*; Trach. 786 *ἐσπᾶτο γὰρ πέδονδε καὶ μετάρσιος*), apud Aristophanem (Avv. 1383), alios; in fabulis Euripideis exhibet propriam suam vim Hec. 499 *ἀνίστασ᾽, ὦ δύστηνε, καὶ μετάρσιον πλευρὰν ἔπαιρε*; Hel. 298; Iph. T. 27; Her. f. 1093 de spiritu: *πνοὰς θερμὰς πνέω, μετάρσι᾽, οὐ βέβαια πνευμόνων ἄπο*; notionem „sublimis, erhaben" habemus Alc. 963 *ἐγὼ καὶ διὰ μούσας καὶ μετάρσιος ᾖξα* (schol. *περὶ μετεώρων ἐφρόντισα*); paene nostrae voci *stolz* respondet Andr. 1220 *ἀμπτάμενα τἀμὰ φροῦδα*

πάντα κεῖται κόμπων μεταρσίων πρόσω. Restant duo vocabula, quorum prius *μεθομήρεος* (Pind. fr. 20) e particula *μετά* et stirpe *ὁμ-ηρο-* compositum est (cf. *ὁμηρέω* „gradus conferre"; Curtius de nom. Hom. p. 12), idemque significat, quod *ὁμηρτῆρες· ἀκόλουθοι, συνήγοροι* (Hesych.), praepositione simili modo atque in *μετάκοινος* abundante. Alterum vocabulum satis mire conformatum est *μετεξέτεροι*, quod usurpatur maxime ab Herodoto et significat „homines hic illic e medio deprompti, alii — alii, nonnulli", similia (Hdt. I, 199; VIII, 87; cum genetivo I, 63, 95 al.).

Cap. II.

AGITUR DE IIS VOCIBUS COMPOSITIS, QUAE MAXIME RESPONDENT USUI PRAEPOSITIONIS *META* CUM ACCUSATIVO CONIUNCTAE.

§ 6.

DE VERBIS EUNDI VEL MOVENDI QUAE CUM ACCUSATIVO SEU ACCUSATIVO E PRAEPOSITIONE PENDENTE CONIUNGUNTUR.

Vidimus antea (§ 2) praepositionis *μετά* accusativum regentis propriam vim hanc esse, ut consilium accedendi et societatem aliquam ineundi indicet. Iam inde sequitur frequentissimum hunc usum esse in verbis eundi vel movendi itaque non mirabimur, quod iam in carminibus Homericis omnia fere verba eundi hac vi cum *μετά* composita inveniuntur; accusativum ex his verbis pendere consentaneum est, quoniam praepositione actionem verbi in aliam rem transire indicatur itaque verbum ipsum transitivum fit.

I. Apud Homerum huius generis verba eundi inveniuntur haec: *μεταΐσσω* (*Π* 398; *Φ* 564; Pind. Ne. V, 78), *μεθάλλομαι* (*Ε* 336), *μεθορμάομαι* (*Υ* 192), *μετασεύομαι* (*Ζ* 296; *Ψ* 389: *μάλα δ' ὦκα μετέσσυτο ποιμένα*

λαῶν); μετέρχομαι (Δ 539; E 456); μετεκίαθον (Π 685 Τρῶας καὶ Λυκίους μετεκίαθε; Σ 531 αὐτίκ' ἐφ' ἵππων βάντες ἀερσιπόδων μετεκίαθον; Λ 714 ἀλλ' ὅτε πᾶν πεδίον μετεκίαθον); μετοίχομαι (K 111, Θ 47); μέτειμι (Z 341 ἢ ἴθ', ἐγὼ δὲ μέτειμι „ego sequar, postea ibo"); μετανίσσομαι (Π 779 ἦμος δ' ἠέλιος μετενίσσετο βουλυτόνδε = ι 58); μεταβαίνω (Θ 492 ἀλλ' ἄγε δὴ μετάβηθι καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον „accede, transi ad hoc"); iam in compluribus horum verborum praepositio non tam „ad, inter", sed potius „post, hinter-her" significat, ita maxime in μέτειμι Z 341; et haec quidem praepositionis vis sine dubio subest verbo μεθέπομαι N 567 Μηριόνης δ' ἀπιόντα μετασπόμενος βάλε δουρί[19]). Eadem haec verba apud posteros quoque multis leguntur exemplis, quorum ea tantum, quae in fabulis Euripideis inveniuntur, apponere liceat; hoc tamen tenendum est, nova huius generis verba non nimis multa inferiore Graecitate formatas esse, sed plerumque tantum verba tradita in usu servata. Ita habes μετέρχομαι notione accedendi, aggrediendi Hipp. 444 ἣ (Κύπρις) τὸν μὲν εἴκονθ' ἡσυχῇ μετέρχεται; Andr. 561 οὐ γὰρ μιᾶς σε κληδόνος προθυμίᾳ μετῆλθον; 992; Phoen. 261; Ion 930 καινὰς ὁδούς; El. 56; Bacch. 713 θεὸν εὐχαῖσιν; eadem vi dicitur μεταστείχω Suppl. 90 μήτηρ ἣν μεταστείχω ποδί; derivatur ab hac stirpe adverbium μεταστοιχεί Ψ 358, 757: στὰν δὲ μεταστοιχεί i. e. ἄλλος μετ' ἄλλον στείχοντες. Plerumque autem in his verbis cum accedendo certum aliquod consilium ita coniunctum est, ut accusativo res, cuius causa aliquis accedit, i. e. obiectum accedendi indicetur, velut Iph. T. 1332 καθαρμὸν ὃν μετῴχετο; Phoen. 1655 τί πλημμελήσας, τὸ μέρος εἰ μετῆλθε γῆς; El. 582 ἣν ἐκσπάσωμαι γ' ὃν μετέρχομαι βόλον; Phoen. 441 ἁγὼ (χρήματα, δύναμιν) μεθήκω δεῦρο.

Iam inde fluxerunt duae significationes, quarum prior

[19]) Activum huius verbi habet Pindarus propria vi Ol. III, 55; notione subeundi Ne. VI, 24 αἶσαν; 97 ἄχθος; Py. II, 69 ψεῦδος.

ne ab Homericis quidem carminibus aliena est. Primum enim, quod bene perspecta vi adverbii *μετά* nemini mirum videbitur, in verbis compositis e notione accedendi facillime derivatur vis arcessendi. Habemus iam in loco Homerico supra allato *ϑ* 47 *κῆρυξ δὲ μετῴχετο ϑεῖον ἀοιδόν*. Saepissime vero inferiore tempore invenitur. Et apud Euripidem quidem aptissima est hisce locis: Med. 6 *οἳ τὸ πάγχρυσον δέρας Πελίᾳ μετῆλϑον*; Hec. 512 *οὐκ ἄρ' ὡς ϑανουμένας ἡμᾶς μετῆλϑες;* Heracl. 1023 *τόνδ' εἶτα νεκρὸν τοῖς μετελϑοῦσιν φίλων δώσω*; Tro. 131 *τὰν Μενελάου μετανισσόμεναι . . . ἄλοχον*; Tro. 1270 *μεϑήκουσίν σ' Ὀδυσσέως πάρα οἵδε*; Phoen. 1317 *ἐγὼ δ' ἥκω μέτα γέρων ἀδελφήν*; Hec. 509 *ἥκω μεταστείχων σε*. Usitatissimum autem hac significatione apud scriptores prosae orationis est verbum *μεταπέμπω* vel potius id quod multo saepius legitur *μεταπέμπομαι*, velut Plat. Gorg. 471 B; Symp. 175 C; Dem. de cor. § 24, 169, 215; Antiphon in nov. § 15; Thuc. I, 95; II, 29; Xen. Hell. II, 1, 9, quibus omnibus locis habes medium genus; activum legitur apud Thucydidem I, 112; IV, 30, alibi, passivum Thuc. I, 128 *μεταπεμφϑεὶς ὑπὸ Σπαρτιατῶν*; Plat. Protag. 319 B *τοὺς οἰκοδόμους μεταπεμπομένους*; etiam hic apparet accusativum verbo deberi composito, nam quem simplex verbum *πέμπω* regit accusativum, prorsus alius is est condicionis. Plane idem vides valere de ratione, quae intercedit inter nostra verba *schicken* et *beschicken*[20]). Derivantur autem a *μεταπέμπω* verbo *μετάπεμψις* et *μεταπομπή*, quod utrumque nomen recentioris memoriae est. Altera, de qua supra monui, significatio etiam Latino verbo *arcessere* propria est; est enim notio puniendi, poenas repetendi, ulciscendi, proprie accedendi, ut poena repetatur. Est autem hic usus maxime Euripidi frequentatus, qui varia eius

---

[20]) Possis etiam cogitare de intransitiva, quam suspicatus est Curtius (Verbum I, p. 154), vi verbi *πέμπειν* (cf. *πομπή*, *δυσ-πέμφελο-ς*) cuius vestigia tamen in verbo ipso obscuriora sunt, quam quibus tale quid certo demonstrari possit.

exempla exhibet haec: 1. cum accusativo rei coniunctum legitur μετέρχομαι Iph. T. 14 θέλων . . . τοὺς ὑβρισθέντας γάμους Ἑλένης μετελθεῖν; fr. 83 τὰ τῶν τεκόντων ὡς μετέρχεται θεὸς μιάσματα. 2. μέτειμι Andr. 260 σφάζ', αἱμάτου θεᾶς βωμὸν ἣ μέτεισί σε („bestrafen wird") coniunctum est cum solo accusativo personae. 3. sociantur inter se accusativus rei et personae punitae: Or. 423 ὡς ταχὺ μετῆλθόν σ' αἷμα μητέρος θεαί; Cycl. 280 μετῆλθεθ' ἁρπαγὰς . . . Ἰλίου πόλιν, ubi accusativus rei liberius appositus videtur ad poenae causam accuratius definiendam. 4. coniunguntur accusativus personae et qui dicitur interioris obiecti: Bacch. 346 τῆς σῆς δ' ἀνοίας τήνδε τὸν διδάσκαλον δίκην μέτειμι; 517 ἀτάρ τοι τῶνδ' ἄποιν' ὑβρισμάτων μέτεισι Διόνυσός σε. 5. solus accusativus posterioris generis invenitur Aesch. Cho. 988 ὡς τόνδ' ἐγὼ μετῆλθον ἐνδίκως μόρον τὸν μητρός, ubi tamen μετῆλθον passivo sensu poenam subeundi accipiendum est.

Pertinet huc etiam verbum μεταδραμεῖν, a cuius stirpe derivantur substantivum μεταδρομή, quod legitur Eur. Iph. T. 941 μεταδρομαῖς Ἐρινύων ἠλαυνόμεθα (etiam apud Xenophontem), adiectivum μετάδρομος et ipsum de Diris dictum Soph. El. 1387 πανουργημάτων μετάδρομοι κύνες, adverbium μεταδρομάδην Il. E 80 πρόσθεν ἔθεν φεύγοντα μεταδρομάδην ἔλασ' ὦμον. Voci μεταδρομή simile est id, quod solum huic classi attribuendum est nomen cum μετά compositum, vocabulum μέθοδος apud philosophos usitatissimum, unde derivantur μεθοδικός, μεθοδεύω, alia; proprio sensu usurpatum videtur loco in lexicis e Suida allato: μέθοδον ποιεῖσθαι τῆς νύμφης: deinde vulgo significat perscrutationem rei, quam quis aggressus est, et, quae inde fluxit vis, rationem talis perscrutationis (*Methode*). Apparet autem omnino vocem ὁδός hac vi cum praepositione μετά componi non potuisse, si solum viam significaret nec simul esset nomen actionis itineris notione instructum.

Notio eadem est verbi μεταλλάω; nam satis veri

simile videtur, quod suspicatus est Kvíčala (Sitzungsber. d. Wiener Akad. 1870. Phil.-hist. Cl. S. 89: cf. Curtius Grdz.[4] p. 540), hanc vocem cognatam esse verbo in Bekk. Ann. p. 414 tradito *ἀπάλλεις· ἀποπέμπεις* et alii notissimo quod est *ἰάλλω* (intransitive Hes. theog. 269 *μεταχρόνιαι γὰρ ἴαλλον*)[21]). Quae si ita sunt, propria verbi vis est „rem aliquam persequi, einer Sache nachgehen"; quam optime in locos scriptorum, maxime Homericos, quadrare apparet. Legitur enim apud Homerum et absolute dictum (e. c. *ξ* 378 *ἀλλ᾽ ἐμοὶ οὐ φίλον ἐστὶ μεταλλῆσαι καὶ ἐρέσθαι*) et cum accusativo personae quam quis interrogat (e. c. *π* 287 *ὅτε κέν σε μεταλλῶσιν*), et cum accusativo vel personae, de qua quis quaerit (e. c. *K* 125 *τὸν μὲν ἐγὼ προέηκα καλήμεναι οὓς σὺ μεταλλᾷς*), vel rei de qua quaeritur (e. c. *E* 516 *μετάλλησάν γε μὲν οὔ τι*), et cum duplici accusativo personae atque rei (e. c. *η* 243 *ὅ μ᾽ ἀνείρεαι ἠδὲ μεταλλᾷς*), et cum accusatio qui dicitur interioris obiecti (*γ* 243 *νῦν δ᾽ ἐθέλω ἔπος ἄλλο μεταλλῆσαι*). Cum autem proprie nullam aliam notionem nisi accedendi habeat, apparet etiam simplicem vim alloquendi verbo *μεταλλᾶν* inesse posse, quam habemus Pind. Ol. VI, 106 *ἀντεφθέγξατο δ᾽ ἀρτιεπὴς πατρία ὄσσα, μετάλλασέν τέ μιν· Ὄρσο τέκνον κτἑ.*, aliis locis.

II. Iam ad haec verba eundi accedunt alia ab initio iam transitiva movendi vi instructa, quae tamen ex parte quidem aliis quoque huius commentationis locis vel tractata sunt vel erunt tractanda. Videntur autem praeter *μεταπέμπω*, de quo iam supra egi, haec maxime verba hoc loco esse afferenda: *μεθίημι*, quod verbum praesertim ubi coniunctum cum praepositione *εἰς* invenitur, huc spectare

---

[21]) Antiquiorum explicationem e *μετά* et *ἄλλος* vocem compositam esse sumentium, quamquam etiam Pottius probavit proposita sane nova interpretatione hac: *μετ᾽ ἄλλων ἐρευνᾶν* (alii: *μετ᾽ ἄλλα ἐρευνᾶν*, cf. E. F. I[2], 754), non possum non ineptam iudicare; nam neque notio quaerendi ullo modo ita explicatur neque, quid sibi velit *ἄλλος*, videmus. De percontandi verbo falso a Pottio comparato conferendus Curtius Grdz. p. 698.

apparet: ε 460 τὸ μὲν (sc. κρήδεμνον) ἐς ποταμὸν . . μεθέηκεν; Α 48 μετὰ δ' ἰὸν ἕηκεν; Eur. Hec. 27 κτανὼν (sc. ἐμέ) εἰς οἶδμ' ἁλὸς μεθῆχ'; Or. 1133 εἰ μὲν γὰρ ἐς γυναῖκα σωφρονεστέραν ξίφος μεθεῖμεν; Phoen. 276 φέρ' ἐς σκοτεινὰς περιβολὰς μεθῶ ξίφος; El. 1223; Ion 1039; Hel. 1396; Bacch. 1071, 1265; legitur etiam omisso εἰς cum accusativo, notione mittendi subiecta: Soph. Phil. 1300 μὴ μεθῇς βέλος; Eur. Hipp. 499 οὐχὶ συγκλήσεις στόμα καὶ μὴ μεθήσεις αὖθις αἰσχίστους λόγους; cf. El. 797; Hipp. 1202 ἠχὼ . . . βαρὺν βρόμον μεθῆκε; Ion 256 τόξα; Cycl. 211 δάκρυα. Deinde huc traxerim verba μεταστρέφω et μετατρέπω iis saltem locis, ubi maxime medio genere posita respondent nostro *sich einer Sache zuwenden, an etw. kehren*, qua vi ex analogia verborum ἀλέγω, φροντίζω, similium cum genetivo coniunguntur: sic habes μετατρέπω Α 160 τῶν οὔτι μετατρέπῃ οὐδ' ἀλεγίζεις; Ι 630; Μ 238; μεταστρέφω Eur. Hipp. 1224 αἱ δὲ (ἵπποι) . . . βίᾳ φέρουσιν, οὔτε ναυκλήρου χερὸς οὔθ' ἱπποδέσμων οὔτε κολλητῶν ὄχων μεταστρέφουσαι; Dem. p. 585, 11 οὐδὲν φροντίζων οὐδὲ μεταστρεφόμενος. Restat unum verbum μεταχειρίζω. Quod plane singularis est formationis; nam vix alia eius explicatio inveniri poterit, quam quae, quoad video, ab omnibus adhuc probata est, ut μεταχειρίζειν dictum sit pro μετὰ χεῖρας αἱρεῖν vel etiam μετὰ χερσὶν ἔχειν (cf. Pott E. F. I^2, 756) vel μετὰ χερσὶν ἑλέσθαι, quod quidem Homericum est (ut ϑ 372), simili breviloquentia, quam invenimus in nostro verbo *handhaben* et in Francogallorum *manier*[22]). Legimus autem hoc verbum apud Euripidem in fragmento incertae fabulae 904, 7 σὺ γὰρ ἔν τε θεοῖς οὐρανίδαις σκῆπτρον τὸ Διὸς μεταχειρίζων χθονίων θ' Ἅιδῃ μετέχεις ἀρχῆς; praeterea saepius apud scriptores prosae orationis maxime

[22]) De verbo χειρίζω, cui praefixum sit μετά, vix quisquam cogitabit, nam hoc demum invenitur multo posteriore tempore, maxime apud Polybium, qui saepissime ei vim administrandi tribuit; neque cum adiectivo quod est μεταχείριος artius coniungi potest μεταχειρίζω, quod etiam hoc multo posterioris originis esse videtur.

notione administrandi vel tractandi: Hdt. III, 142 τῶν μετεχείρισας χρημάτων, ubi idem fere est quod nostrum verbum *sich bemächtigen;* Thuc. I, 13 τὰ περὶ τὰς ναῦς (act.); Plat. Hipp. mai. 304 B λήρους καὶ φλυαρίας μεταχειριζόμενος („sich befassen mit"). Derivantur inde nomina μεταχείρισις et μεταχειρισμός, quae apud scriptores postremae demum aetatis leguntur.

§ 7.

DE IIS VOCABULIS CUM *METΑ* COMPOSITIS, IN QUIBUS PRAEPOSITIO ACTIONIS MUTATAE NOTA EST.

Accedimus nunc ad ea verba cum μετά composita, quae et frequentissima et difficillima sunt explicatu; nam vim mutandi, quam in tanto verborum numero praepositioni inesse videmus, quomodo ex iis, quae adhuc cognovimus, significationibus derivari queat, primo oculorum obtutu prorsus obscurum est. Attamen non plane desperandum est de explicatione nec deest vinculum, quo etiam haec significatio cum aliis illis coniungi possit. Proficiscendum est enim ab ea adverbii μετά significatione, quam iam apud Homerum in μέτειμι, μεθέπομαι, μεταστοιχεί[23]) localem, in adverbiis μετέπειτα, μετόπισθεν (cf. infra) atque etiam in nonnullis praepositionis cum nomine coniunctae, quae supra p. 130 ascripsimus, exemplis temporalem vel, ut accuratius dicam, ad successionem pertinentem invenimus (cf. Latinorum *post*). Iam, ut statim exemplo, quid velim, explicem, μεταβουλεύω (ε 286 ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μετεβούλευσαν θεοὶ ἄλλως ἀμφ' Ὀδυσῆϊ κτλ.) significat priori consilio postea aliud succedere, quo re vera prius mutari apud Homerum indicatur etiam addito adverbio ἄλλως, quod posteriore tempore cogitatione tantummodo intellegitur. Eundem igitur habemus usum loquendi, quo Latino *curae po-*

[23]) Cf. supra p. 149.

steriores (cf. *μετα-μέλεια*) notio paenitentiae est tributa. Itaque cum hac via omnia quae huc pertinent verba putem explicanda esse, ut e notione succedendi atque iterandae eiusdem actionis fluxisse notionem mutationis statuam, concedo sane non ita simplicem esse hanc rationem ac paene quaesitam posse videri. Sed qua ratione et simpliciore et probabiliore e propria adverbii *μετά* vi notio adeo diversa derivari possit, egomet non assequor.

Iam antequam ad singula verba accedamus, hoc monendum est, quamquam in haud exiguo verborum numero vel ipsam „post“ significationem vel saltem eius vestigia inveniamus, tamen in plerisque verbis maxime posterioris temporis et locis posteriorum scriptorum praepositionem nullam aliam nisi meram mutandi vim exhibere, quae res minus mira videbitur, si meminerimus, quoad nostrum *um* eadem vi usurpatum a propria volvendi notione recesserit. Nec hoc neglegendum est, quod quamquam iam antiquissimo tempore inveniuntur verba adeo obscuratae principalis notionis, tamen omnino apud Homerum sunt rariora et posteriore demum tempore magis magisque increbrescunt. Quae cum ita sint, in tota hac classe proficiscendum est ab iis vocabulis atque locis, quae vestigia saltem propriae notionis exhibent, dein e ceterorum verborum satis magno numero, cum omnia afferre longum sit, ea tantummodo commemorabo, quae maioris momenti sunt.

Atque ut a verbis p a e n i t e n d i exordiar, habes apud Homerum *μ ε τ α σ τ έ ν ω* *δ* 261, ubi Helena: *ἄτην δὲ μετέστενον, ἣν Ἀφροδίτη δῶχ᾽, ὅτε μ᾽ ἤγαγε κεῖσε*, quod est proprie „ich seufzte der Schuld nach“ vel etiam „errorem, de quo antea non questa sum, postea iam gemebam“. Idem verbum apud Aeschylum Eum. 59 *οὐκ ὄπωπα . . . ἥτις αἶα τοῦτ᾽ ἐπεύχεται γένος τρέφουσ᾽ ἀνατὶ μὴ μεταστένειν πόνον*; cf. *μ ε τ α σ τ ο ν α χ ί ζ ο μ α ι* Hes. scut. 92 *πολλὰ μετεστοναχίζετ᾽ ὀπίσσω*.

μ ε τ α κ λ α ί ω *Λ* 764 *ἦ τέ μιν* (*Ἀχιλλέα*) *οἴω πολλὰ μετακλαύσεσθαι, ἐπεί κ᾽ ἀπὸ λαὸς ὄληται*.

μεταλγέω Aesch. Suppl. 406 *τί τῶνδ' ἐξ ἴσου ῥεπομένων μεταλγεῖς τὸ δίκαιον ἔρξαι;*

μεταμέλομαι absolute Xen. Cyrop. IV, 6, 5; cum dativo *τινί* et *περί τινος* vel *ἐπί τινι* apud posteriores. Saepius legitur intransitiva forma *μεταμέλει μοί τινος* (cf. *ἀλέγω τινός*), vel *τὶ*, ut Aesch. Eum. 771 *ὡς αὐτοῖσι μεταμέλῃ πόνος*, Ar. Nubb. 1114 *οἶμαι δέ σοι ταῦτα μεταμελήσειν*, Hdt. VI, 63; cum genetivo Xen. Cyrop. V, 1, 22; absolute Andoc. de myst. § 150 *οὐδ' ἂν ὑστέρῳ χρόνῳ ὑμῖν μεταμελήσῃ*, alibi; cf. de Lac. pac. § 41 *ψηφίσασθε δὲ τοιαῦτα, ἐξ ὧν ὑμῖν μηδέποτε μεταμελήσει.* Derivantur ab hac stirpe nomina *ἡ μεταμέλεια* (Eur. fr. 1065 al.) et *ὁ μετάμελος* (Thuc. VII, 55).

Sicut his verbis notio communis curarum posteriorum subest, ita aliis similibus communis est sententiae postea mutatae notio. Praeter *μεταβουλεύω* iam supra allatum (v. etiam Eur. Or. 1526 *ἀλλὰ μεταβουλευσόμεσθα* „aliud consilium in loco prioris supponemus") huc spectat ante omnia *μεταγιγνώσκω* „postea verum cognoscere" ideoque etiam „paenitere" significans: Aesch. Suppl. 110 *ἄταν δ' ἀπάτᾳ μεταγνούς* (Droysen: „betrogen einst traurigstes Loos bereuen wird"); Eur. Iph. A. 1425: *ἴσως γὰρ κἂν μεταγνοίης τάδε* („andres Sinnes werden"); Med. 64 *μετέγνων καὶ τὰ πρόσθ' εἰρημένα*; Aesch. Ag. 221 *τόθεν τὸ παντότολμον φρονεῖν μετέγνω* i. e. „novum consilium cepit, scil. *τὸ . . . φρονεῖν*" (Droysen: „ergriff er kühn allzu kühnen Vorsatz"), et eodem modo cum infinitivo, quo consilium postea captum mutatum esse indicatur, ut Thuc. I, 44 *μετέγνωσαν . . . μὴ ποιήσασθαι*, quo usu propria vis praepositionis clarissime elucet. Substantiva hinc derivata habes *μετάγνωσις* Herod. I, 87 et *μετάγνοια* (cf. *ἄγνοια*, nisi forte haec verba melius a *μετανοέω* derivantur) Sophocl. El. 581 *μὴ πῆμα σαυτῇ καὶ μετάγνοιαν τιθῇς*; alioquin breviorem formam *μετάνοια* invenimus, velut Thuc. III, 36; Antiph. tetr. A. IV, 12 („paenitentia").

Similis est notio verbi *μετανοέω*, quod eiusdem vi-

detur esse radicis (cf. Curtius Grdz.[4] p. 188) quodque non usurpatur apud poëtas tragicos, saepius in prosa oratione: Antiph. tetr. A. IV, 12; d. caed. Her. 91 τὸ μετανοεῖν καὶ γνῶναι ἐξαμαρτηκότας; postea etiam coniunctum legitur cum ἐπί c. dat., περί c. gen., solo dativo; apud Xen. Cyrop. I, 1, 3 sequitur μή et coniunctivus („consilium capio, ne quid fiat“). Opponitur verbum μετανοεῖν apud Epicharmum (Stob. floril. I, 14) verbo προνοεῖν, sed nescio an hoc verbi μετανοεῖν exemplum non antiquioris usus vestigium praebeat, sed potius ipsi opposito verbo προνοεῖν debeatur.

Vides igitur in verbis adhuc tractatis vestigia satis perspicua eius quae est propria adverbii notio exstare. In permultis vero aliis ea iam multo magis obscurata sunt. Attamen ne unum quidem Homericae aut omnino antiquioris aetatis verbum exstat, quod non facile ita explicari possit. Quod vere dictum esse docebunt cetera huius significationis exempla Homerica, quae nunc ita enumerabo, ut cum aliorum scriptorum quaedam exempla ascribam tum Euripidea.

μεταστρέφω „umwenden“ Λ 595; Ο 591; Ρ 114 στῆ δὲ μεταστρεφθείς; Θ 253; Λ 447; magis ad principalem significationem accedit exemplum, quod legitur Ο 52 τῷ κε Ποσειδάων γε καὶ εἰ μάλα βούλεται ἄλλῃ, αἶψα μεταστρέψειε νόον μετὰ σὸν καὶ ἐμὸν κῆρ, ubi vix verba μετὰ . . . κῆρ artius cum μεταστρέψειε coniungenda sunt, sed potius sic explicanda: „deinem u. meinem Willen gemäss“ („secundum“); Eur. Bacch. 1330 ὁρᾷς τάμ᾽ ὅσῳ μετεστράφη; cf. Chaeremon. fr. 19 ἅπαντα νικᾷ καὶ μεταστρέφει τύχη. De intransitivo vocis usu neque Ο 203 cogitare licet, ubi legitur τόνδε φέρω Διὶ μῦθον ἀπηνέα τε κρατερόν τε, ἦ τι μεταστρέψεις, neque β 67 θεῶν δ᾽ ὑποδείσατε μῆνιν, μή τι μεταστρέψωσιν ἀγασσάμενοι κακὰ ἔργα; nam hic ἔργα, illic μῦθον (v. 202) etiam ad verbum μεταστρέφω trahendum est. Substantivum ab hac stirpe formatum μεταστροφή legitur apud Platonem rep. VII p. 525 C; 532 B.

μετατρέπω „converto“ Α 199 θάμβησεν δ᾽ Ἀχι-

λεὺς, μετὰ δ' ἐτράπετ' αὐτίκα δ' ἔγνω; Pind. fr. 164 de Oedipo: πεπρωμέναν ἔθηκε μοίραν μετατραπεῖν ἀνδροφθόρον· οὐδὲ σιγᾷ κατερρύη. Verbum ipsum apud Euripidem non legitur, sed substantivum cognatum μετατροπή Andr. 491 ἔτι σε πότνια μετατροπὰ τῶνδ' ἔπεισιν ἔργων, ubi habet vim nostri *Umschlag, Vergeltung*, qua cum notione comparandus est usus adiectivi μετάτροπος Hes. Theog. 89

τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι
ῥηιδίως, μαλακοῖσι παραιφάμενοι ἐπέεσσι;

Aesch. Pers. 941 δαίμων γὰρ ὅδ' αὖ μετάτροπος ἐπ' ἐμοί; Eur. El. 1148 μετάτροποι πνέουσιν αὖραι δόμων, quibus posterioribus locis propria vis etiam magis apparet. Invenitur praeterea substantivum μετατροπία eadem vi, qua μετατροπή: Pind. Py. X, 31 μὴ φθονεραῖς ἐκ θεῶν μετατροπίαις ἐπικύρσαιεν. Ab eadem radice originem duxit μετατροπαλίζομαι, eadem fere qua μετατρέπομαι vi dictum Υ 190 τότε δ' οὔ τι μετατροπαλίζεο φεύγων.

μετατίθημι ex optimis libris a Wolfio restitutum est σ 402 αἴθ' ὤφελλ' ὁ ξεῖνος ἀλώμενος ἄλλοθ' ὀλέσθαι πρὶν ἐλθεῖν· τῷ κ' οὔ τι τόσον κέλαδον μετέθηκεν, ubi propria notio quae est „postea facere, efficere" nondum prorsus est obscurata, neque tamen vis quae postea verbo subest „aliquid supponere in loco alius rei" aliena est. Hanc quidem habemus apud Euripidem Or. 254 ταχὺς δὲ μετέθου λύσσαν; Iph. A. 389 γνοὺς πρόσθεν οὐκ εὖ μετεθέμην εὐβουλίαν; significat verbum hic „postea sibi efficere alqd., accipere" (cf. Dem. p. 303, 9). Aliis vero locis eidem verbo inest vis nostri verbi *umgestalten* vel *verändern*, ita [Eur.] Rhes. 131 τάδε δοκεῖ, τάδε μεταθέμενος νοεῖ („dich, deinen Sinn ändernd") et saepius. Substantivum ab hac stirpe derivatum μετάθεσις habent scriptores prosae orationis, ut Thucydides V, 29.

μεθίστημι δ 612 τοιγὰρ ἐγώ τοι ταῦτα μεταστήσω i. e.: „ego haec tibi postea iterum atque aliter constituam"

vel „ego haec tibi mutabo." Eur. Alc. 173 *οὐδὲ τοὐπιὸν κακὸν μεθίστη χρωτὸς εὐειδῆ φύσιν* („entstellen"); Heracl. 935 *τύχην*; El. 1201 *πάλιν φρόνημα σὸν μετεστάθη*; Bacch. 49 *ἐς δ' ἄλλην χθόνα, τἀνθένδε θέμενος εὖ, μεταστήσω πόδα.* Saepissime deinde aeque ac *μεθίημι* cum genetivo rei eius, qua quis liberatur, coniungitur apud Euripidem: Or. 133 *τάχα μεταστήσουσ' ὕπνου τόνδε*; Hel. 1442 *μετάστησον κακῶν*; Bacch. 1271; Iph. T. 991, aliis locis. Eadem est constructio temporum intransitive usurpatorum, ut habes Alc. 21 *πέπρωται μεταστῆναι βίου*; Med. 551 *μετέστην δεῦρ' Ἰωλκίας χθονός*; Hel. 856 *μεταστήτω κακῶν*; Bacch. 944 *μεθέστηκας φρενῶν*; cum *ἐκ* legitur sociatum Ion 584 *ἐκ χαρμονῆς πάλιν μεταστάς*; Heracl. 796 *νεὸς μεθέστηκ' ἐκ γέροντος .. αὖθις αὖ*; absolute usurpatur perfectum Med. 898 *μεθέστηκεν χόλος*; cum *εἰς* iungitur Med. 911 *εἰς τὸ λῷον σὸν μεθέστηκεν κέαρ*; Heracl. 487. Substantivum *μετάστασις* „mutatio" saepius legitur, apud Euripidem Andr. 1003 *οὐδέ νιν μετάστασις γνώμης ὀνήσει*; Hec. 1266 *μορφῆς*; Iph. T. 816 *ἡλίου* („Untergang"), fr. 558 *βίου*; saepissime etiam in prosa oratione, ut Dem. Ol. II, 13; Andoc. de red. s. 8 *κακοῦ*; Thuc. IV, 74; VI, 60; Xen. Hell. I, 4, 16.

μετοχλέω, μετοχλίζω Ω 567 *οὐδέ κ' ὀχῆα ῥεῖα μετοχλίσσειε θυράων*; ψ 188 de lecto Ulixis: *οὔ κέν τις ...... ῥεῖα μετοχλήσειεν*; significat autem verbum proprie: „postquam quid stabilitum est, rursus movere."

μετακλίνω Λ 509 *πολέμοιο μετακλινθέντος* i. e. „pugna postea se vertente."

μετοκλάζω Ν 281 de trepido homine usurpatum, qui, postquam consedit, non quietus manet, sed huc illuc conquiniscit: *οὐδέ οἱ ἀτρέμας ἧσθαι ἐρητύετ' ἐν φρεσὶ θυμός, ἀλλὰ μετοκλάζει καὶ ἐπ' ἀμφοτέρους πόδας ἵζει.*

Prorsus obscurata iam apud Homerum videtur propria significatio verbi *μεταβάλλω*, quod uno loco Θ 94 notione verbi *herumwerfen, umwenden* usurpatur: *μετὰ νῶτα βαλών.* Postea huic verbo praeter illam omnino notionem mutandi inesse notum est. Priorem autem habemus Eur.

Or. 1002 *ἔρις τό τε πτερωτὸν ἁλίου μετέβαλεν ἅρμα*, 1006 *δρόμημα εἰς ὁδὸν ἄλλαν Ζεὺς μεταβάλλει*, aliis locis; deinde saepius de fortuna mutata, Tro. 101 *μεταβαλλομένου δαίμονος ἀνέχου*; Her. fur. 884 *τὸν εὐτυχῆ μετέβαλεν δαίμων*; de aliis rebus Hipp. 204 *μὴ χαλεπῶς μετάβαλλε δέμας*, Bacch. 54 *μορφὴν . . μετέβαλον εἰς ἀνδρὸς φύσιν*; deinde proleptice dicitur Iph. A. 343 *μεταβαλὼν ἄλλους τρόπους*; 363 *μεταβαλὼν ἄλλας γραφάς*; quin etiam cum accusativo qui vocatur cum infinitivo iungitur Ion 1512 *ὦ μεταβαλοῦσα μυρίους ἤδη βροτῶν καὶ δυστυχῆσαι καὖθις αὖ πρᾶξαι καλῶς Τύχη*. Porro etiam prorsus eodem modo, quo nostra verba *umwerfen*, *umschlagen* *μεταβάλλω* intransitive adhibetur; apud Euripidem quidem Tro. 1118 *καιναὶ καινῶν μεταβάλλουσαι χθονὶ συντυχίαι*; Her. f. 480 *μεταβαλοῦσα δ' ἡ τύχη*; Ion 1614 *ᾔνεσ' οὕνεκ' εὐλογεῖς θεὸν μεταβαλοῦσα* (cf. Lob. ad Ai.[2] p. 275). Etiam nomen *μεταβολή* saepius legitur apud Euripidem notione mutationis: Tro. 611; Or. 234 *μεταβολὴ πάντων γλυκύ*; Her. fur. 735 *κακῶν*; 1292; Bacch. 1267; Iph. T. 722; Iph. A. 500; 1101; fr. 553; 558; 856. Praeterea ab illa stirpe derivantur nomina *μετάβολος*, *μεταβολεύς*, alia, quae tamen omnia apud posteriores demum inveniuntur.

Accessit ad haec verba Homerica inferiore tempore satis magnus numerus aliorum, quae omnia afferre cum et longum sit et supervacaneum, ea tantum, quae apud Euripidem inveniuntur, enumerabo locos ascribens omnes, ubi leguntur:

μεθορμίζω „transfero in alium statum“ Bacch. 931 cum *ἐκ*; Alc. 798; Med. 258 (med. intrans.), 443 cum genetivo (med. intrans.); Thuc. VI, 88.

μεθαρμόζω „transformo“ Alc. 1157 (med.); Aesch. Prom. 309 (med.); Soph. El. 31 (act.).

μεταφέρω Phoen. 179; Soph. Phil. 962 *γνώμην*.

μεταμείβω „commuto“ Phoen. 831 (med.). Her. fur. 796 *τί τινι*. Pind. Py. III, 170 *Διὸς δὲ χάριν ἐκ προτέρων μεταμειψάμενοι καμάτων*.

μεταίρω Iph. T. 1158.

μεταγράφω „transscribo“ Iph. A. 108.

μεταλλάσσω „muto“ fr. 222; 264 (intr.); Soph. fr. 519 (trans.); fr. 343ᵃ (pass.); 713, 2 (trans.). μεταλλαγή Eur. Her. f. 765; fr. 332, 9; Soph. Phil. 1134.

μεταψαίρω „removeo“ Phoen. 1390.

μεταπίπτω „concido“, de fortuna Alc. 912; Ion 412; Iph. A. 502.

μετεύχομαι „aliud cupio“ Med. 600.

μεταβαίνω transitiva vi Hipp. 1292 πτηνὸς ἄνω μεταβὰς βίοτον. Pind. Ol. I, 68 δαμέντα .. ποτὶ δῶμα Διὸς μεταβᾶσαι. Carm. pop. 17 (Bgk) πόδα μετάβατε.

Huc pertinet etiam ille vocis μεταλαμβάνω usus, de quo supra p. 140 monui; significat enim „commuto, eintauschen, ändern“, ut Plat. Theaet. 355 C ἄλλο . . . ὄνομα μετείληφεν; Thuc. VI, 18, alibi.

Prorsus singulare est μετοικέω, quod vi, ut videtur, transmigrandi usurpatur Eur. Hipp. 836 τὸ κατὰ γᾶς θέλω, τὸ κατὰ γᾶς κνέφας μετοικεῖν σκότῳ θανὼν ὁ τλάμων, nisi potius οἰκεῖν hic transitivam vim habet et μετά artius coniungendum est cum σκότῳ, quod mihi etiam veri similius videtur. De μετοίκησις v. supra p. 31.

Nomen cum μετά hac vi compositum, cui quod respondeat verbum non legitur, unum inveni μετάβουλος „consilii mutans“ Arist. Ach. 632 (μέτοικος nominis vi transmigrantis dicti exemplum non legi). Adverbium e stirpe verbali formatum est μετάκερας, quode cf. Lobeck parall. p. 223.

Postremo hoc loco commemoranda sunt vocabula maxime posterioris Graecitatis ea, in quibus sine dubio praepositioni μετά inest vis Latini *post* de tempore dicti; hic demum ea affero, quia quae huc spectant verba omnibus illis antea tractatis aetate inferiora sunt. Sunt autem huius generis verba: μεταδειπνέω, μεταπίνω, μετακαταχέω, μετακαταψύχω, μεταδέχομαι, μεταβιόω, alia non multa. Praeterea substantiva, adiectiva, adverbia pauca huc pertinent, quae non infimae tantum Graecitatis sunt. Vix enim puto in μεθύστερος praepositioni aliam vim inesse posse, et

invenimus hanc vocem iam in hymno in Cerer. 205 adverbii loco, qui idem est usus Aeschyli Pers. 207; Ag. 425; Cho. 516; Soph. Phil. 1133; Trach. 710; dativo pluralis utitur Aeschylus Sept. 581 („posteris"). Accedunt μεθέορτος, quod est obiectivum compositum („id quod post festum est"), quod legitur Plut. mor. p. 1095 A, aliis locis; μετόπωρον i. e. ὁ μετὰ τὴν ὀπώραν χρόνος, quod vocabulum primum traditum est Thuc. VII, 79, sed iam antea in usu fuisse probatur adiectivo μετοπωρινός, quod iam apud Hesiodum Erg. 415 legitur adverbii munere fungens. Alia huius modi vocabula affert Pottius E. F. I², 757. Adverbia autem, quae huc pertinere videntur, habemus satis antiqua: μετέπειτα „hinterdrein" Ξ 310, κ 519, alibi; μετόπισθεν Λ 82; μετόπιν Soph. Phil. 1189.

PAUCIS ASTRINGITUR TRACTATIO ET ABSOLVITUR.

§ 8.

Iam si totam vocabulorum cum μετά compositionem respicimus, primum hoc animadvertitur, ea verba, quae priore capite tractata propriam adverbii significationem quae est „mit, unter", maxime perspicuam exhibent, omnia fere iam satis antiquo tempore formata et posteriore tempore non ita multis novis aucta esse. Maxime ea verba, quae Homeri aetate cum solo dativo tam saepe iunguntur, postea nunquam fere inveniuntur, itaque, cum ea ipsa sola quodammodo verbis cum σύν compositis similia sint, talem usus discrepantiam, qualem inter adverbia μετά et σύν cum casibus coniuncta Attica aetate exstitisse docuit Mommsenus, in verbis compositis nullam esse apparet. Attica aetate, si excipis pauca illa verba, quae aliquem alicuius rei participem esse significant, ubicunque societas quaedam in ipso verbo est indicanda, particula σύν verbo praefixa videtur, qua de re alio tempore uberius exponere in animo mihi est. Cum igitur propriae illius particulae μετά significationis in

compositis vocabulis posteriore tempore pauca tantum vestigia in verbis μετέχειν, μεταλαμβάνειν similibusque et in nominibus talibus, qualia sunt μεταίχμιος, μεταμάζιος, servata essent, ea, quae in posteriore commentationis parte primo loco posui, verba inde ex Homeri carminibus per totam Graecitatem satis usitata remanserunt. Attamen ne eorum quidem numerus magnus erat; multo frequentiora Attica quidem aetate ea verba facta sunt, quae miram illam mutandi notionem exhibent. Est hoc sane satis notabile, sed minime raro in linguis fieri conspicitur, ut voces, quo magis principalis earum significatio inflectitur et obscuratur, eo frequentius in usum hominum loquentium adhibeantur novis, quae interim exortae sunt, notionibus indutae.

Ubicunque autem verbi constructio adverbio praefixo alia est facta, hanc mutationem mutata ipsius verbi significatione effectam esse ex omnibus, quae proposita sunt exempla, clarissime elucere mihi videtur.

VITA.

Natus sum Antonius Funck Auricae a. 1854 a. d. XI Cal. Mart. patre Alexi Friderico, gymnasii Auricensis praeceptore, qui ante duos fere annos mihi morte ereptus est, matre Antonia e gente Roentgen. Ab anno octavo usque ad annum undevicesimum frequentavi gymnasium Auricense rectore Carolo Volckmaro, quem ante tres fere annos mortem occubuisse valde lugemus. Anni 1872 vere examine superato Heidelbergam me contuli philologiae studio me traditurus ibique per duo semestria audivi viros illustrissimos Bartschium, Koechlyium, Ribbeckium, Starkium, Treitschkium, Wattenbachium, Zellerum. Inde Lipsiam transmigravi et hic per sex semestria scholis interfui virorum praeclarissimorum Brockhausii, Curtii, Drobischii, Ecksteinii, Fritzschii, Kuhnii (nunc Heidelbergensis), Langii, Osthoffii, Overbeckii, Ritschelii, Springeri, Zarnckii; proseminarii philologici per biennium socius fui, seminarii philologici, paedagogici Ecksteinii, societatis grammaticae G. Curtii sodalis etiamnunc sum. Omnibus praeceptoribus meis cum Heidelbergensibus, tum Lipsiensibus gratias ago quam maximas, praecipue vero Georgio Curtio, praeceptori unice venerando, qui summa benevolentia studia mea semper prosecutus est et adiuvit.